BERNARDINI

PETRELLAE

EX VRBE BVRGO SANCTI SEPVLCHRI LOGICAM IN PATAVINO GYMNASIO PRIMO LOCO PROFITEN-TIS LOGICARVM DISPVTATIONVM

Libri Septem.

Ad Perillustrem, ac religiosissimum Episcopum NICOLAVM *Tornabonum Patritium Florentinum.*

Cum duplici rerum notabilium indice, quæ in toto opere continentur.


CVM PRIVILEGIO.





P A T A V I I,


Apud Paulum Meietum. *M. D. LXXXIIII.*




PERILLVSTRI AC RELIGIOSISSIMO BVRGI SANCTI SEPVLCHRI EPISCOPO,

NICOLAO TORNABONO, PATRITIO FLORENTINO

Bernardinus Petrella. S. P. D.





VM ad disputationes meas de rebus Logicis, quas superioribus annis tui splendore nominis illustratas edidi, multa, atq; uaria addidissem; hocq; quàm plurimi ex auditoribus meis cognouissent: eorum efflagitationibus sibi facile persuadentium, ea non mediocri utilitati ipsis, ceterisq; facultatis Logicæ studiosis futura esse, adductus in lucem, & aspectum hominum producenda statui; nullisq; aliis auspiciis, quàm tuis uti uolui: nam cum ab ineunte ætate familiaritate tua, & quidem arctissima, me dignum feceris; non poteram sine aliqua ingrati animi nota alium eligere rerum mearum defensorem. Consentaneum igitur uisum est uigilias, lucubrationes, & labores studiorum meorum tibi Viro amplissimo eximiis uirtutibus ornato dedicare; quibus sanè tum propter perpulchras, et utiles, ni fallor, quæstiones, de quibus agitur, tum etiam propter ordinem, quo disposita, & discussa sunt omnia, commodo fortasse aliquo afficientur illi, qui hoc studiorum genere delectantur: uel saltem alij excitabuntur, ut exactius, & maiori diligentia his de rebus scribant, perficiantq; ea, quæ uires ingenij mei perficere non potuerint. Equidem mecum reputans, haud æquum esse, illud celare talentum, quo Deus Opt. Max. pro sua infinita benignitate me dignum iudicauit, ut interpretarer in hoc celeberrimo Patauino Gymnasio

difficillimos quidem, sed summa utilitate refertos libros Posteriorum Analyticorum Aristotelis; studui semper, quantum potui, ut me diuinæ Maiestati praeberem, si non seruum utilem, sicuti par est, at fidelem saltem. Iam, Praesul nobilissime, & generosissime nihil est, quòd hoc tempore à te petam, ut hos meos labores protegendos suscipias: nam si aliena (quæ tua est humanitas) diligentissime tutaris, quid de his, quæ tua sunt, te facturum esse, sperandum est? tua autem sunt, cum sint ueluti fructus illius plãtæ, quæ ab aquis benignitatis erga me tuæ uberrime irrigatur. Hoc tantũ exploratum habeas, uelim, te à me plurimũ, qui tibi debeo plurimũ, coli, atq; obseruari; Deumq; Opt. Max. precor, ut te diu incolumen, florentẽq; conseruet. Vale. Patauii. III. Id. Nouembr. felici die festo Di. Martini.

M. D. LXXXIII.



INDEX EORVM CAPITVM, QVAE IN SINGVLIS libris continentur.

Primi libri capita hæc sunt.

Capita secundi libri.

Capita tertii libri.

Capita quarti libri.

Capita quincti libri.

Capita sexti libri.

Capita ſeptimi libri.

Rerum


RERVM NOTABILIVM, QVAE IN TOTO OPE re continentur Index locupletisſimus.


A.

Q.

Obsecro te, Lector, ut, priusquàm legere incipias, hæc grauiora errata, partim deficientibus initio characteribus græcis, partim Typographi incuria, commissa, sicut infra notatum est, corrigas. primus numerus paginam, secundus uersum indicat.

1. 23. apo tu logu, ἀπὸ τοῦ λόγου
2. 39. b. aliis, illis.
9. 1. intensiones, intentiones.
10. 16. probans, præbens.
28. 24. instrumentum, instrumentorum.
148. 13. octauo, septimo.
165. 33. e, se.






BERNARDINI PETRELLAE LOGICARVM DISPVTATIONVM

LIBER PRIMVS DE LOGICA VNIVERSALITER SVMPTA.

An huiusmodi Logica sit, eiusq; genus quodnam sit.
C A P. I.





Voniam de omni, quod sciri potest, ut testatum reliquit Philosophus in principio secundi Posteriorum, quatuor quæri possunt, An sit, Quid sit, Quale sit, Cur sit; Quibus diligenter consideratis, non potest id exquisite non cognosci: ideo cum Logica artificiosa, de qua in præsentia loquimur, sine ulla controuersia sciri possit, in eius tractatione à philosophi sententia non recedentes, quatuor illa quæsita, in quibus omnia fere prolegomena latent, examinanda proponimus. Verum quia eorum duo simplicia, An sit, & Quid sit, duoq; alia composita sunt, Quale, & Cur sit, ut ordinem Naturæ sequamur, à simplicibus incipiemus, & primum à Quæstione An sit, nam fatuum esset quærere quid res aliqua sit, nisi prius notum fuerit rem illam esse, in quo simplici quæsito non immorabimur, cum omnibus eruditis hominibus pateat, Logicam artificiosam à Philosophis inuentam, & ab Aristotele tandem perfectam, atq; absolutam fuisse, hæc regit Intellectum nostrum ne erret in suis operationibus, estq; recta philosophandi ratio; Vulgares quoque, ac rudi ingenio præditi indicant, logicam hominibus naturaliter insitam esse, cum eorum unusquisque in disceptationibus pro se rationes adducere, aduersariorumq; argumenta refellere conetur, nulla habita logicæ artificiosæ cognitione. An sit igitur logica disciplina quærere prætermittemus, & ad inuestigandum Quid sit, hoc est, ad eius definitionem constituendam accedemus, quæ cum in duplici differentia sit, uidelicet, nominis, & rei; de nominis definitione, ut clara, sermo noster non erit, quoniam logicæ nomine omnes fere Disciplinam quandam apo tu logu idest, à ratione ratiocinatricem significari intelligunt; sed solum de rei definitione, quæ intimam eius Disciplinæ naturam declarat. Hæc omnium opinione ex genere proximo, & proximis differentijs constare debet, ut definitum ra

a tione generis ab iis, quæ ſunt diuerſorum generum, & ratione differentiarum ab iis, quæ ſunt eiuſdem generis, diſtinguatur. Verum quia differentiæ à Logicæ ſubiecto, & fine ſumuntur, de eius genere, ſubiecto, & fine à nobis agendum erit, quibus optime cognitis, Logicæ Definitio omnibus perſpicua reddetur. Quod igitur ad genus pertinet, dicimus, Logicæ genus eſſe Facultatem, ſeu Habitum rationalem.

Ex Aliorum ſententia obiectiones quædam de genere Logicæ. *C A P. I I.*

Contra ea, quæ de genere Logicæ dicta ſunt, Nonnulli argumentantur, facta prius hac Facultatis diſtinctione, ut aliquando late, pro ut omnes habitus intellectus comprehendit; aliquando uero ſtrictius, & magis proprie ſumatur, pro poteſtate, quæ æque utrumq; contrarium reſpicit, Is enim ambulare poteſt, qui etiam poteſt non ambulare. Poſita huiuſcemodi diſtinctione, obſtare illud uidetur, quod ſi primo modo Facultatem accipiamus, non dicimus genus Logicæ, niſi ampliſſimum, & remotiſſimum, quaſi uelimus Logicam eſſe quandam Diſciplinam, uel Habitum, quod cum per ſe compertiſſimum ſit, in præſentia non quæritur, ſed magis propinquum Logicæ genus indagandum eſt: Si uero ſecundo modo, ſolum Dialecticæ, ac Rhetoricæ huiuſcemodi appellatio accomodari poteſt, intelligendo nomine Dialecticæ non totam Logicam, ſed ſolam eius partem diſputatricem, quæ octo libris Topicorum continetur, hanc enim philoſophus comparat cum Rhetorica, & ei ſimilem eſſe dicit, non totam Logicam, quando in principio primi libri de Rhetorica inquit, Dialecticam, & Rhetoricam ſimiles eſſe inter ſe, & utramque dynamin, ideſt, Facultatem quandam eſſe, quoniam hæ ſolæ Diſciplinæ docent in utramque partem diſputare, & c nos aptos reddunt ad utramque partem æque tuendam, Patet itaque Facultatis nomen ſiue communiter, ſiue proprie ſumatur, toti Logicæ non conuenire. Præterea, per nos, qui Logicam dicimus eſſe Facultatem, difficultas, quæ alios urget, non ſoluitur, cum enim conſtet, Logicam habitum eſſe intelligendi, & credendum ſit, plenam, & ſufficientem eſſe habituum enumerationem in ſexto libro de Moribus ab Ariſtotele poſitam, ad quorum nullum Logicæ habitum redigi poſſe facile demonſtratur; ſi Facultatem alium quendam habitum eſſe putamus præter illos quinque, Ariſtotelem in habituum enumeratione mancum, ac diminutum facimus; ſi uero non alium, ſed eorum aliquem, id à nobis declarandum, & argumenta ſoluenda erant, quæ in oppoſitum fieri ſolent; quamobrem fortaſſe melius dicendum erit, Logicæ genus eſſe Diſciplinam, ſeu Habitum inſtrumentarium.

Superiores obiectiones ſoluuntur. Cap. I I I.

d Allatis obiectionibus ita reſpondemus, ut ad primam dicamus, nos accipere Facultatem primo modo ſumptam, & contra inſtantiam, negamus Logicæ

genus tunc esse amplissimum,& remotissimum,reddenda enim erat ratio,quam obrem Facultas, seu Habitus rationalis Logicæ genus remotum sit, cum eius quoq; proximum esse possit, nam licet habitus rationalis genus sit pluribus com mune, non tamen est à Logica remotissimum, sed ei proximū, si Logica accipia tur pro ut distinguitur ab Intellectu, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Arte. Id autem manifestum erit, si habitus communiter accepti diuisionem in medium afferamus. Habitus ergo communiter acceptus uel corporis, uel Animi est,Ha bitus animi uel est moralis, uel rationalis, habitus rationalis uel est principalis, uel instrumentarius,principalis autem uel contemplatiuus, uel actiuus, uel effe ctiuus est. Hac posita diuisione,dicimus, differentiam principalem additam habi tui rationali constituere quinque illos habitus in sexto libro de Moribus cap.ter tio,& quarto enumeratos, uidelicet, Intellectum, Scientiam,Sapientiam, Pruden tiam, & Artem, qui habitus præcipui dicuntur; eidem uero habitui rationali al teram instrumentariam differentiam adiunctam & Logicam, & Grammaticam parere, quæ habitus instrumentarii uocantur. quare Logicæ, prout à præci puis habitibus contradistinguitur, proximum genus est habitus rationalis, & proxima differentia est instrumentaria differentia; respectu autem Gram maticæ; habitus rationalis est genus remotum, & habitus rationalis in strumentarius est genus proximum, quod de aliis quoque ab ipsa Logi ca differentibus specie, sicut de Grammatica uere dicitur; At habitui rationali instrumentario addita alia differentia,uidelicet, ut præbeat instrumenta utriq; philosophiæ parti inseruientia ad secernendum uerum à falso, bonumq; à malo, ponit Logicam à Grammatica distinctam. Sicuti, gratia exempli,Animal imme diate diuiditur per rationalem,& irrationalem differentiam in Hominem,& Bru ta, ratione itaque hominis genus proximum est animal, proxima uero differen tia est rationalis differentia; quoniam uero ex Porphirii uerbis in tali differentia conueniunt etiam Dii; Animal ad Deos,& homines remotum,animal autem ra tionale proximum genus est,cui apposita mortalis differentia separat Hominem à Diis. Ex quo clare patet, sicuti in hominis definitione animal est genus ratio ne brutorum non remotum, reliqua uero omnia differentiæ, ita in Logicæ de finitione (quæ nunc huiusmodi fit, Facultas,seu Habitus rationalis instrumenta rius præbens instrumenta utrique philosophiæ parti inseruientia ad secernendū uerum à falso, bonumq; à malo) Habitum rationalem respectu principalium ha bituum esse genus non remotum, cæteras autem particulas differentias; nam Lo gica à scientia,& ab aliis præcipuis Habitibus non per habitum rationalem cum id, quod est causa conuenientiæ, non possit esse causa discrepantiæ respectu eius dem, sed per differentiam instrumentariam distinguitur; In Habitu uero ratio nali instrumentario simul cum Grammatica conuenit, cui generi, quod nomine caret, alia aduenienś differentia, uidelicet, ut præbeat instrumenta utrique philo sophiæ parti inseruientia ad secernendum uerum à falso, bonumq; à malo, sepa rat Logicam à Grammatica. Hæc habitus rationalis diuisio sumitur ab entis di uisione facta ab Aristotele in sexto Metaph: libro his uerbis,entis aliud extra a

a nimam, aliud in anima est, entis extra animam ex sententia philosophi in sexto libro de Moribus ad Nichomachum cap. tertio aliud necessarium, aliud contingens est, cõtingentis uero ex mente eiusdẽ philosophi in eodem libro cap. quarto aliud actio, aliud effectio est Ex altera parte ens ĩ anima secundũ eius quiditatẽ & quatenus ens à Methaphysico, ut effectus ipsius intellectus ab Animastico, ut uero instrumentum diuersa ratione à Logico, & à Crammatico consideratur. Et licet Metaphysica, & Animastica contemplatio uersentur circa ens rationis, tamen non dicitur utraque habitus rationis, & instrumentarius, quoniam tota earum speculatio non uersatur solum circa ens rationis, sicuti Logica, & Grammatica, quæ quidem iure optimo dicuntur habitus rationis, & instrumentari. Ex qua entis diuisione facillime apparet à quibus eius partibus membra habitus rationalis ortum ducant, nam præcipui habitus ab ente extra animam, instrumentarii uero ab ente in anima oriuntur; Præcipuorum habituum ab ente extra

b animam fluentium Alii ab ente necessario, ut Intellectus, Scientia, & Sapientia; Alii ab ente contingente fluunt, ut Prudentia, & Ars, Prudentia ab ente contingente actiuo, Ars uero ab ente contingente effectiuo; Instrumentarii autem habitus, ut sunt Logica, & Grammatica, ab ente in anima emanantes diuersi fiunt inter se ex diuerso considerandi modo, seu ex finis diuersitate. qua (ut censeo) ueritate cognita, facile intelligitur, Logicæ, pro ut à præcipuis habitibus distinguitur, proximum genus esse habitum rationalem, in quo & præcipui, & instrumentarii habitus conueniunt, ratione uero Grammaticæ esse habitum rationalẽ remotum genus, proximum autem, Habitum rationalem instrumentarium; facileq; respondetur alteri obiectioni, negando, sufficientem esse eam habituum enumerationem, quam posuit Aristoteles in sexto libro de Moribus, quia ibi philosophus non diuidit habitum rationalem in genere, sed alteram eius speciem, uidelicet, habitum rationalem præcipuum, in quo est uerum per se; Ex qua diui-

c sione elicitur instrumentariorum habituum diuisio, propterea quòd sicut ex finis diuersitate præcipui, ita instrumentarii habitus diuiduntur, licet eorum nulla fuerit ibi facta mentio ab Aristotele. Cum itaq; præter habitus præcipuos dẽtur etiam alii instrumentarii, si ponamus Facultatem habitum quendam diuersum à quinque illis præcipuis habitibus, non uideo quomodo Aristotelem in habituum enumeratione mancum, diminutumq; faciamus. Quòd uero dicitur, Logicæ genus esse Disciplinam, seu Habitum rationalem instrumentarium, respondemus, in se uerum esse, attamen non explicatum aliquid scrupuli Iuuenum animis iniicere posse; non enim ratione omnium (ut diximus) habitus rationalis instrumentarius est Logicæ genus, nam si consideretur Logica in comparationẽ ad habitus præcipuos; eius genus non potest esse totum illud aggregatum, ut dicatur, Habitus rationalis instrumentarius, cum per huiusmodi aggregatum ab aliis distinguatur, alioquin ab eis non differret, cum genus conuenientiæ, non discrepantiæ causa sit earum specierum, quæ sub se continentur; sed tunc eius ge-

d nus est tantummodo Habitus rationalis, in quo cum illis conuenit, & proxima differentia est instrumentaria differentia, per quam constituitur talis, & à præci

puis

puis habitibus separatur. Si uero consideretur in comparationem ad Grammaticam, eius proximum genus uere est Habitus rationalis instrumentarius, per quem non specificatur Logica à Grammatica contradistincta, quia (ut dictum est) quod est causa conuenientiæ, non potest ratione unius, & eiusdem esse causa discrepantiæ, sed specificatur, & à Grammatica seiungitur per aliam differentiam ab eiusdem Logicæ fine desumptam, illiq; habitui rationali instrumentario appositam, quæ est, ut præbeat instrumenta utrique philosophiæ parti inseruientia ad secernendum uerum à falso, bonumq; à malo. Ecce quomodo opiniones non declaratæ aliquid obscuritatis parere possunt, erat igitur aperiendum respectu quorum habitus rationalis instrumentarius sit Logicæ genus. a

De Logica Subiecto
CAP. IIII.

COgnito Logicæ proximo genere, ad eius subiectum constituendum accedendum est, & quoniam diuersitas est non parua inter Artis, & Artificis operantis subiectum, ne Iuuenes in errorem incidant, de utroque uerba faciemus, notando prius, tam Artis, quam Artificis operantis adæquatum subiectũ constare ex re considerata, quæ subiecto materiali respondet, & modo considerandi, qui cum subiecto formali idem est. Artis res considerata est opus absolutum, & completum, constans ex materia, & forma rei, quæ fit ab Artifice; Modus autem considerandi est, quatenus alteri opus illud inseruire debet. Artificis uero operantis res considerata, seu subiectum operationis est materia, circa quam uersatur, Modus autem considerandi est, ex ea opus propositum efficere, ut gratia exempli, Artis naualis res considerata est nauis fabricata, modus autem considerandi est, quatenus nautis inseruire debet, Artificis autem naues construentis res considerata, uel subiectum operationis est lignum, modus uero considerãdi est, quatenus in eo formam nauis introducere intendit. Hoc posito, aduertendum esse existimamus, per Logicæ disciplinæ, operantisq; Logici subiectum nos non intelligere subiectum adæquatum, sed partem eius, nempe rem consideratam. Dicimus itaq; Logicæ disciplinæ, subiectum esse ipsamet Logica instrumenta iam absoluta, Logici autem operantis subiectum quodnam sit, patebit, facta prius secundarum Intentionum huiusmodi distinctione, quòd earum aliæ simplices, aliæ compositæ sunt, simplices sunt termini ipsi, nomen scilicet, uerbum, subiectum, prædicatum, & huiusmodi, ex quibus efficiuntur propositiones, quæ in syllogismorum collatione dicuntur etiam secundæ intentiones simplices, non secus ac elementa, quæ in mixtorum comparationem dicuntur simplicia, licet cõstent ex materia, & forma; compositæ uero secundæ intentiones sunt propositiones ratione terminorum, ratione uero utrorumque, uidelicet terminorum, & propositionum est syllogismus, qui à propositionibus distinguitur, quoniam ignotum per notum notificat, illæ uero nequaquam. Hac posita secundarum intentionum distinctione, dicimus subiectum Logici ut Artificis operantis esse se-

b c d

a cundas intentiones simplices primis applicatas. Hæc nostra opinio fundata est in entis, & habitus intellectus rationalis diuisione, nam sicuti entis ex sententia philosophi in sexto Metaph: aliud extra animum, aliud in animo est, ita Habitus intellectus rationalis alius ab ente extra animum fluit, ac de illo tractat, ut est quilibet præcipuus habitus, alius ab ente in animo, seu ab ente rationis, de eoq; agit, ut est omnis habitus intellectus rationalis instrumentarius. Cum igitur circa ens rationis Logicus uersetur, eius subiectum operationis non possūt esse nisi secundæ intentiones simplices primis applicatæ, in eisq; fundatæ. Hinc pspicitur oēs sciēter dicere, Logicū secūdas intētiones tractare primis applicatas, idest, habere pro subiecto operationis secūdas intētiones simplices primis applicatas, in illisq; fundatas, cū secūdæ intētiones absque primis esse nō possint.

Nonnullorum sententia de Logicæ subiecto.

b CAP. V.


EOrum, qui de Logica benemeriti sunt, nonnulli uidentur uelle, eius subiectum, quod operationis subiectum appellant, esse res omnes, siue earum primos conceptus, uel primas intentiones, in ea occupantes eundem locum, quē in Arte statuaria occupat æs, & lapis, in fabrili ferrum, ac lignum, & in Medicina humanum corpus; nam quemadmodum statuario proponitur æs tanquā materia, in qua formam statuæ efficiat, quæ eius artis scopus, ac finis est, ita, Logico proponuntur res omnes, siue earum conceptus tanquam subiectum, in quo secundæ intentiones effingantur, ut sint instrumenta nos iuuantia ad rerū notitiam adipiscendam. Quam sententiam & omnium testimonio, & Auerrois auctoritate confirmant; omnes enim dicunt, Logicum secundas intentiones tractare primis applicatas, quod nihil aliud significat, quàm primas intentiones esse subiectum, in quo Logicus efficit secundas, quæ sunt finis Logicæ, secundæ enim c sine primis neque esse, neque mente concipi possunt. Auerroes autem in ultimo capite Epitomes libri Categoriarum asserit, decem Categorias esse subiectum & in scientiis & in Logica, duobus tamen diuersis modis, in Logica quidem quatenus eis contingunt intellecta secunda, idest, quatenus eis secundae intentiones imponuntur, in scientiis uero quatenus sunt conceptus rerum, quae extra animam sunt, quasi dicat, quatenus sunt cognoscibiles, res namque cognoscimus per ipsarum conceptus, quos mente apprehendimus. Logicus itaque res omnes considerat, non secus ac philosophus, diuersa tamen (ut diximus) ratione.

Opinio superius notata impugnatur.

CAP. VI.

d HAEC opinio, quantum coniicere possum, cum ueritate non conuenit, neque enim Logicae disciplinae, neque Logici operantis res ipsae sunt

subiectum, seu res considerata, non Logicæ disciplinæ, quia in ea, sicuti in mechanicis Artibus res considerata sunt instrumenta iam confecta, & absoluta; neque etiam Logici operantis, nam si res ipsæ essent eius res considerata, seu operationis subiectum, non secus ac statuarii æs, & lapis, profecto res essent pars materialis Logicorum instrumentorum, sicuti æs, & lapis statuæ, quemadmodum igitur statuarius, gratia exempli, ex ære, & figura mercurii efficit eius statuam, ita Logicus ex rebus, & secundis intentionibus deberet sua instrumenta construere, quod tamen falsum est, ut clare inferius apparebit. Ad omnium uero testimonium, quod scilicet fateantur omnes, Logicum secundas Intentiones tractare primis applicatas, & in eis fundatas, dicimus, uerba illa interpretationem nostram in calce quarti capitis prolatam recipere, non eam, quam illi afferunt, nisi in bonum sensum ea uerba redigantur, ut scilicet res sint subiectum, idest, fundamentum, in quo fundantur secundæ intentiones tam simplices, quàm compositæ à Logico consideratæ. à qua communi sententia non recedit Auerroes loco ab eis citato, quia per decem Categorias intelligit subiectum pro fundamento, in quo fundantur secundæ intentiones simplices tãquam subiectum operationis Artificis, nempe Logici, ex quibus construit secundas intentiones compositas. Manifestum igitur est ex iis, quæ hucusq; diximus, res non esse subiectum Logici operantis, sed fundamentum secundarum Intentionum, quod ante iuniorum oculos ponimus. Sit in libris Priorum ex regulis ibi à philosopho traditis compositus syllogismus, quem in sua principia resoluemus, ut recte cognoscere possimus ex quibus fuerit confectus, cum composita ex illis construantur, in quæ resoluuntur. Syllogismus itaque immediate resoluitur in propositiones, quæ non sunt res, sed secundæ intentiones in rebus fundatæ; propositiones deinde in terminos simplices, qui etiam non sunt res, sed secundæ Intentiones rebus applicatæ. Subiectum itaque operationis, seu materia, circa quam uersatur Logicus in Syllogismorum constructione, non sunt res, sed termini simplices, & propositiones, quia sicuti in rerum naturalium generatione elementa, in quæ corpora naturalia resoluuntur, sunt subiectum operationis naturæ in mixtorũ productione, & hæc uidelicet mixta in animaliũ generatione, ita termini simplices, quos rebus applicatos assumit Logicus in libro categoriarum, sunt eius subiecta materia, seu subiectum operationis, circa quod uersatur in constructione propositionum, & hæ scilicet propositiones sunt eiusdem Logici subiectum operationis, circa quod uersatur in efficiendo Syllogismo, qui non secus, ac eius subiectum operationis, fundatur in rebus. Non sunt itaque res subiectum operationis Logicorum instrumentorum, sed fundamentum, cum secundæ Intentiones absq; primis, & rebus subsistere non possint.



De fine Logicæ disciplinæ, eiusq;, ac Logici operantis adæquato subiecto.

C A P. VII.

DEclarato Logicæ disciplinæ subiecto, reliquum est, ut ad eius finem indagandum perueniamus. pro cuius notitia considerandum est, Logicæ non secus ac Mechanicis Artibus duplicem conuenire finem, internum unum, alterum externum, quasi finem generationis, & rei genitæ. finem internum Logicæ dicimus esse absolutionem explicationis subiecti eius, quem finem assecutus fuit Aristoteles dum Logicæ libros absoluit, & Addiscentes eundem finem sunt assecuti dū
b pertinentia ad partes Logicæ didicerunt, per quæ possunt ad libitum formare instrumenta Logica; externum uero ex Aristotelis sententia in primo Top. cap. nono esse utrique philosophiæ parti adminiculari, tradendo eis methodos, ac regulas distinguendi uerum à falso, bonumq; à malo, hinc est, quod philosophus in Moralibus finem, ac scopum actiuæ philosophiæ nominare maluit actionem, quàm cognitionem, ut agendo eligamus bonum, & malum fugiamus. Disciplinæ itaque non secus, ac Mechanicæ artes, ita se habentes uersantur in attinentibus ad finem internum tanquam in re considerata, modum uero considerandi recipiunt à relatione ad finem externum, ex quo duplici fine oritur earum adæquatum subiectum, ut gratia exempli, Artis naualis subiectum adæquatum est nauis quatenus nautis inseruire debet, Logicæ autem adæquatum subiectum sunt instrumenta quatenus utrique philosophiæ parti inseruire debent ad secernendum uerum à falso, bonumq; à malo; Logici uero operantis adæquatum subiectum sunt
c secundæ Intentiones simplices, quatenus ex illis instrumenta, quæ sunt secundæ Intentiones compositæ, construere intendit. Ex quo manifestissime apparet, subiecti acceptiones non confundi, cum pro re considerata simplices, pro modo uero considerandi secundæ Intentiones compositæ accipiantur.

Ex Aliorum sententia opinio Auctoris impugnatur de fine externo Logicæ disciplinæ, adæquatoq; Logici operantis subiecto.

C A P. VIII.

HAnc, quam sequimur, opinionem quoad externum Logicæ finem, adæquatumq; Logici operantis subiectum Nonnulli mordicus nituntur impugna-
d re, & primum quoad externum Logicæ finem asserunt, eam de bono, & malo additionem superuacaneam esse, quoniam ex eorum sententia totius Logicæ finis est cognitio, quamobrem satis esse putant, ut dicatur, externum Logicæ finem

esse discernere in philosophia uerum à falso,quia uerum,& falsum, eorumq; cognitio non modo in contemplatiua, sed etiam in Actiua philosophia,& in omnibus Artibus locum habent, nam in omnibus disciplinis cognitio quæritur, nec non ueri à falso distinctio; id tamen interest, quod contemplatiuæ nullum alium finem habent, quàm cognitionem, reliquæ uero omnes cognitionem non per se quærunt, sed propter operationem. Et quoniam existimant, bonum, & malum esse proprias materiei conditiones,non secus ac calidum, frigidum, durum, molle, & huiusmodi, quas Logica,& omnia Logica instrumenta accidentarie respiciunt, aiunt, Si in Logicæ definitione sumeremus bonum, & malum, perinde esset, ac si multas quoque alias materiei conditiones acciperemus, dicendo, Logicam esse instrumentum, quo discernimus bonum à malo,calidum à frigido,& durum à molli; quæ omnia cum inconuenientia sint, inconueniens est etiam in Logicæ definitione ponere alium finem,quàm eum, ut discernat uerum à falso. Et licet Aristoteles in Moralibus finem, ac scopum actiuæ philosophiæ actionem nominare maluerit, quàm cognitionem, id ab eo hac ratione factum esse dicunt, quoniam actio ibi principalem locum tenet, cum sit ultimus, ac præcipuus finis, ad quem omnis earum disciplinarum cognitio dirigitur, quare non poterat aliter loqui Aristoteles de fine, & scopo actiuæ philosophiæ. De Logici operantis adæquato subiecto, inquiunt, eos esse dæridendos, qui secundas notiones tanquam rem consideratam, deinde, ut instrumenta notificandi ponunt tanquam modum considerandi. Quem errorem ut detegant, notandum esse uolunt, subiecto modum considerandi apponi ad coarctandum non rem consideratam, ut multi putant, sed eius considerationem, quod cum maxime dignum cognitu sit, & à paucis animaduersum, tali exemplo declarant; Si quis diceret esse in aliquo libro subiectum animal quatenus est rationale, Is non recte diceret, quia si hæc locutio esset admittenda, oporteret omne animal esse rationale, qui enim ita loquitur, uidetur supponere, omni animali rationale inesse, uel saltem non simpliciter animal sumit, sed restrictum, & pro solo homine, ut perinde sit, ac si diceret, Homo quatenus rationalis, sic enim recte diceret etiam si eãdem rem bis exprimeret, semel quidem tanquam rem consideratam, deinde iterum tanquam modum considerandi, quoniam in constituendo uero scientiæ contemplatiuæ subiecto modus considerandi æqualis esse debet rei consideratæ, licet enim dicere, Homo quatenus homo, sed non recte dicitur, animal quatenus homo, nisi animal pro homine solo accipiatur, dum enim dicit animal quatenus est homo, non omne animal statuit rem consideratam esse,sed solum hominem, quia bos non potest considerari quatenus homo, cuius consideratio, cum sit multiplex, restringitur, potest .n. homo considerari ut sanabilis, ut fælicitatis capax,& aliis fortasse modis,ideo dum dicimus,subiectum esse hominem ut homo est,uel ut est rationalis, ad hanc unam considerationem hominẽ coarctamus, & alias excludimus; ita cũ dicimus, corpus quatenus habens principiũ motus esse subiectũ philosophiæ naturalis,non corpus ipsum restringimus,sed corporis cõsideratione,corpus .n. omne habet in se principiũ motus,& omne habens principiũ

a motus est corpus, sed tamen potest corpus considerari ut quantum, & aliis multis modis, quos omnes excludimus dum dicimus, quatenus habens principiũ motus. Hæc si uera sunt, duplicem dicunt esse illorum errorem, qui ponunt secũdas notiones pro ut sunt instrumenta notificandi esse subiectum Logicæ; etenim rem consideratam restringunt, quod faciendum non est, consideratioñe autem non restringunt, quam potius restringere debuissent; secundæ quidẽ notiones latius patent, quàm instrumẽta notificandi, à Grãmatico nãque secundæ notiones cõsiderantur, q̃ instrumẽta notificãdi nõ sunt; uidentur itaq; sic dicentes rẽ ipsã restringere. At si secundas notiones non ample sumant, sed stricte pro illis tantũ, quæ à Logico cõsiderãtur, & sũt ĩstrumẽta notificãdi, nihil restringũt dũ dicũt, pro ut sũt instrumẽta notificãdi; rẽ.n. nõ restringũt, ut manifestũ est, sed neque modũ cõsiderãdi qa harũ nulla datur alia cõsideratio, quã pro ut sũt ĩstrumẽta notificãdi.

b

Respondetur prædictæ impugnationi
CAP. IX.

CVM opinio nostra de externo Logicæ fine sit fundata super illa philosophi auctoritate in Moralibus, ad eam respondent nonnulli, ut diximus in præcedenti capite, sed tantum abest, ut eorum responsio opinionem, quam sequimur, funditus euertat, ut potius eam confirmare uideatur, quoniam si hac de causa philosophus in Moralibus finem, ac scopum actiuæ philosophiæ actionem nominare maluit, quàm cognitionem, eo quia actio principalem locum tenet, cum sit ultimus, ac præcipuus finis, ad quem omnis earum disciplinarum cognitio dirigitur, & per quem actiua, à contemplatiua philosophia secernitur; ita etiam nos hoc nomine addimus discernere bonum à malo, ut magis significare possimus mentem philosophi de Logica esse, ut instrumentum sit utriusque partis phi
c losophiæ, quod fieri non potest per id solum, ut discernat uerum à falso, quia licet uerum, & falsum, eorumq; cognitio non tantum in contemplatiua philosophia, sed etiam in actiua locum habeant, manifestius tamen actiua per id, ut discernat bonum à malo, quàm per id, ut discernat uerum à falso significatur. Sicuti ergo non poterat aliter loqui philosophus de fine, & scopo actiuae philosophiæ in Moralibus, ita nos aliter non possumus externum Logicæ finem ponere, si ex mente philosophi exprimere uolumus, Logicam utriusque partis philosophiæ instrumentum esse. qua (nisi fallor) cognita ueritate, facile ruunt inconuenientia illa, ad quæ nos deducunt, dum inquiunt, si in Logicae definitione sumeremus bonum, & malum, perinde esset, ac si multas quoque alias materiei conditiones acciperemus, asserendo, Logicam esse instrumentum, quo discernimus bonum à malo, calidum à frigido, & durum à molli; ruunt (dico) huiusmodi inconuenientia, quia non ita per calidum, frigi
d dum, durum, & molle significatur actiua philosophia, sicuti per bonum, & malum. An uero deridendi sint, qui ponunt secundas notiones simplices tanquam rem consideratam, deinde, ut instrumenta notificandi, idest,

quatenus ex illis instrumenta notificandi, quæ sunt secundæ Intensiones compositæ, construenda sunt, tamquam considerandi modum Logici operantis, Aliis iudicandum relinquimus. Quod autem ad reliqua pertinet. Eos & sibi ipsis, & philosopho aduersari, suamq; positionem non satis animaduertere existimamus. Asserendo enim non rem consideratam, sed eius considerationem restringi debere, sibi ipsis repugnant, cum alibi dicant, (res quidem considerata non est cuiusque scientiæ propria, sed potest ei cum aliis esse communis, modus autem considerandi cuique proprius est,& rem consideratam restringit,quæ ipsa per se communis erat,) nec dicere possunt,id uerum esse de re considerata, seu de subiecto materiali in scientiis contemplatiuis, in operatricibus autem minime,quia statim subiungunt, (ita in operatricibus solemus subiectum à fine restrictum nominare, ut cũ dicimus subiectum in arte Medica esse corpus humanũ,ut sanandũ,) deinde, putantes in uero subiecto scientiæ contemplatiuæ constituendo modũ considerandi æqualem esse debere rei consideratæ,simul & philosopho,& sibi ipsis contradicunt,nã philosophus in secundo physicorũ contextu decimo octauo,& uigesimo ait,in re considerata posse conuenire plures contẽplatiuas scientias, in modo ãt considerandi nequaquã,& ipsi (ut paulo ante diximus) affirmant, rẽ consideratã non esse cuiusque scientiæ propriã,sed posse pluribus communẽ esse, modũ autẽ cõsiderandi cuique proprium. Si itaque res considerata potest esse pluribus communis,& modus cõsiderandi cuique proprius est,quomodo asserunt,in cõstituendo uero subiecto sciẽtiæ contẽplatiuæ modũ cõsiderandi æqualẽ esse debere rei cõsideratæ? demũ, ponendo id, qđ negligunt,positionẽ suam parũ animaduertere uidentur. declaro eos ponere qđ negligunt,nam rẽ aliquam consideratã,quæ pluribus modis considerari possit,ad unũ ex illis coarctari,& restringi,nihil aliud est,quàm oẽs alios eius considerandi modos excludere,& unum illorũ seligere; ut gratia exẽpli,cũ possit Homo considerari,uel ut sanabilis,uel ut fælicitatis capax,si Aliquis excludẽdo ut ẽ fælicitatis capax, acciperet ut est sanabilis, diceretur ad hũc,nõ ad aliũ cõsiderãdi modũ hominẽ restringere,ergo ponunt, qđ negligũt. Hæc cũ uera sint,tantũ abest,ut in duplici uersentur errore, qui ponũt secundas notiones simplices prout sũt instrumenta notificãdi,idest,pro ut ex illis cõstruenda sũt instrumẽta notificãdi,esse Logici operantis adæquatũ subiectũ,ut potius eorũ sentẽtia sit penitus ad mentẽ philosophi, accipiunt.n. secũdas notiones simplices late,pro ut ẽt à Grãmatico considerãtur,easq; admodũ considerandi Logici restringunt,qđ secundũ Aristotelis pcepta loco superius citato faciendũ erat,& hoc præstare,uidelicet,rẽ aliquam ad unũ ex pluribus eius considerãdi modis coarctare,nihil aliud est,quàm eiusdem rei cõsiderationem restringere.

Essentialis Logicæ Definitio.
CAP. X.

Constituto (quantum per nos licuit) Logices genere, subiecto, & fine, consequens est, ut essentialem eius definitionem ponamus, quæ cum ex

a genere,& differentiis proximis efficiatur, rationi congruere uideretur, ut pro genere sibi assumeret habitum intellectus rationalem, sub quo cum reliquis pri cipalibus habitibus proxime continentur habitus instrumentarii; uerum si res diligenter consideretur, in eius definitione Logicus non debet habitum collocare, quoniam Logicus, ut Logicus, eum considerare non potest, alioquin cogeretur etiam intellectum considerare, cum habitus dicat ad intellectum relationem, & à quo relatiuorum unum consideratur, ab eodem consideretur & alterum, sed à Logico (ut clare patet) intellectus non consideratur, ergo nec habitus. melius itaque (nisi fallor) suo munere fungetur Logicus, si in Logices definitione pro eius proximo genere non habitum intellectus rationalem, licet sub eo (ut supra disputatum fuit) Logica contineatur, sed disciplinam acceperit. Et cum iam determinatum sit, Logicae subiectum esse instrumenta perfecta, & completa, finem uero utrique philosophiæ parti adminiculari ad secernendum uerum à falso, bonumque à malo, à quibus, nimirum subiecto, & fine differentiæ sumuntur, b hunc in modum eius definitio (ut opinor) poni debet; Logica est disciplina instrumentaria probans instrumenta utrique philosophiæ parti inseruientia ad secernendum uerum à falso, bonumque à malo. in genere contracto per differentiam à subiecto desumptam Grammatica cum Logica conuenit, habet enim etiam Grammatica pro subiecto instrumenta, sed fine ab ea distinguitur Logica, etenim Grammatica non considerat sua instrumenta quatenus inseruire debeant utrique philosophiæ parti ad secernendum uerum à falso, bonumque à malo, ut facit Logica.

Vtrum Logica sit scientia.
CAP. XI.

c

EXaminatis duobus simplicibus Logicæ quæsitis, uidelicet, An sit, & quid sit, reliquum est, ut alia duo composita declaremus, quorum unum nempe propter quid sit, alterũ præsupponit, uidelicet, quale sit, sicuti in simplicibus quid sit præsupponit an sit; quare consonum rationi est, ut in compositis à quaesito quale sit incipiamus, dicimus itaq;, illud nihil aliud esse, nisi ponere in numerũ, idest, facere enunciationes de tertio adiacente, in quibus alterum alteri inhaeret interiecta copula, ut gratia exempli, quando quaerimus, utrum homo sit albus, risibilis, & huiusmodi, hæc quæstio appellatur Quale sit. qua posita huius termini cognitione, quæri posset de Logica, utrum ei prædicatum aliquod iungatur uidelicet, An sit simpliciter scientia, & huiusmodi alia multa; cuius quaestionis subtilis Doctor una cum tota ferè Latinorum schola partem affirmatiuam tuetur, quia iudicans, Logicam esse scientiam rationalem, cogitur etiam asserere, Logicam esse simpliciter, & absolute scientiam, nam quod est sub specie alicuius generis, non potest non esse sub genere illius speciei, sed scientia rationalis est species d scientiae communiter sumptae ad realem, & rationalem, ergo Logica, cum sit scientia rationalis, erit quoque scientia simpliciter accepta, quae fundatur in ente

etiam

etiam communiter sumpto;nam sicuti datur ens commune ad ens extra animũ, a
&ad ens in animo,ita datur scientia communis ad scientiam de re extra animũ, idest,de ente reali,& ad scientiam de re in animo, idest, de ente rationali. quæ communiter accepta scientia, cum sit effectus demonstrationis communiter sumptæ ad realem,& rationalem demonstrationem,habet subiectum, passiones, & principia tamquam media ad eas passiones de subiecto demonstrandas, quæ omnia ut communia ad realem, & rationalem demonstrationem accipiuntur. Esse autem Logicam scientiam simpliciter, & absolute sumptam,intelligendo de Logica docente,quam Græci uocant seiunctam à rebus, hac ratione Doctor subtilis probat. Logicus est sciens,ergo Logica est scientia,quia à concretis,ubi est prædicatio per se, ualet consequentia ad abstracta; Antecedens probatur hunc in modum,Logicus demonstrat, ergo Logicus est sciens; deducitur Antecedens hoc pacto,in Logica sunt ea omnia, quæ ad demonstrationem faciendam requiruntur,ergo Logicus demonstrat. Si uero intelligatur de Logica,quæ est b
in usu,idest,de Logica (ut Græci dicunt)rebus applicata,negat illam esse scientiã, quia hoc pacto considerata non est ex propriis, sed ex communibus. uerum ne quispiam crederet,dum putat Logicam esse scientiam,eum sentire,Logicam esse scientiam realem,dubitat contra partem affirmatiuam,quam tuetur,ut appareat de qua scientia intelligat, inquiens, Aristotelem in sexto Metaph: tex: Com.2.distinguere scientias in Mathematicam,Naturalem, & Diuinam, seu Metaphysicã, sed Logica sub earum nulla continetur, ergo Logica non est scientia. respondens ad hanc philosophi auctoritatem, ait, Aristotelem ibi distinguere scientias reales, ideo consequentiam non ualere, quia licet Logica non sit scientia realis, est tamen scientia rationalis, quod sat est ad ostendendum, Logicam esse absolute scientiam. Ex qua responsione indicat dari scientiam communem ad realem, & rationalem, nec non declarat de qua scientia intelligat, quando asserit, Logicam esse scientiam. Est itaque Logica scientia rationa- c
lis docens construere modos, seu instrumenta notificandi utrique philosophiæ parti inseruientia.

Ex mente aliorum, Scoti, & Latinorum ferè omnium notata sententia impugnatur. C A P. XII.

HAnc sententiam, quam uerissimam esse existimamus, Nonnulli conantur acerrime impugnare, probantes contra Doctorem subtilem Logicam non esse scientiam absolute, ex quo sequitur, eam nec esse quidem scientiam rationalem,cum teneat semp consequentia à superiori ad inferius negatiue. Quod,relicta(ut dicunt) argumentorũ multitudine,ostendunt ratione ex ipsius d
rei natura deducta,quæ hũc in modũ ab eis formatur. Tota tractatio Logica est de secundis notionibus,hæ autem opus nostrum sunt,& arbitratu nostro esse, ac non esse possunt, non sunt igitur res necessariæ, sed contingentes, ita ut sub

a scientiam non cadant, cum scientia sit rerum tantummodo necessariarum; qua re patet Logicam similiorem esse Artibus, quàm scientiis in rerum consideratarum conditione, scientiae namque in rebus simpliciter necessariis uersantur, Logica uero, & Artes omnes in rebus contingentibus, quae à nobis producuntur: habita etiam ratione scopi, & finis, Logica Artibus similis est, scientiis uero dissimilis, nam scientiarum finis est sola rerum consideratarum cognitio, Artium uero non cognitio, sed effectio, si quam enim cognitionem habent, eam ad effectionem dirigunt, Praeterea ualidissimis Aristotelis auctoritatibus, & in primo priorum sub initium secundae, ac tertiae sectionis, & in primo Topicorum capite nono eandem rationem confirmant; nam philosophus in primo Priorum locis citatis asserit se constructionem Syllogismorum docere, nempe quomodo efficiendi sint, & quomodo facile à nobis fieri possit, ut nos ad eos efficiendos apti reddamur, at quis non uidet talem esse Artem om-
b nem docentem? In nono autem capite primi libri Topicorum ait, problematum alia per se respicere electionem, & fugam, quae quidem sunt problemata ad actionem pertinentia eorum enim scopus non est cognitio, sed electio, uel fuga, idest, agere uel non agere; alia per se tendere ad ueritatem, & scientiam, ut sunt problemata speculatiua, quorum nullus alius est scopus, quàm scientia ueritatis; alia demum utrique parti philosophiae auxiliari, quae sunt problemata Logica, haec etenim sunt instrumenta, quibus utitur tùm actiua; tùm contemplatiua philosophia; itaque sententia Aristotelis est, rerum Logicarum non esse scientiam, cum per hanc conditionem separet problemata speculatiua ab actiuis, & Logicis, ut scilicet, sola speculatiua scopum habeant scientiam. Addamus nos in fauorem huius opinionis aliam philosophi auctoritatem in secundo Diuinorum contextu decimo quincto in fine, ubi ait, absurdum esse simul scientiam, & modum scientiae quaerere, ex qua philoso-
c phi auctoritate clare patet, Logicam, quae per modum scientiae exprimitur, non esse scientiam, alioquin non recte ibi philosophus locutus fuisset. Quod uero spectat ad argumenta in oppositum, eorum uanitatem ostendere facile esse dicunt, primum enim argumentum, si ualidum esset, non magis in Logica, quàm in Artibus omnibus effectricibus locum haberet; Si namque Artem aliquam docentem statuamus, ut medicam, uel aedificatoriam, illa quoque subiectum proprium habebit, de quo multa demonstrabit per propria illius artis principia, omnis enim Doctrina fit ex praecognitis, & per ratiocinationem à noto ad ignotum; Quid igitur? Ars aedificatoria docens erit scientia speculatiua? Ad primum itaque Doctoris subtilis argumentum respondentes, negant antecedens; Logicus enim neque est sciens, neque demonstrat, neque habet ea omnia, quae ad ueram demonstrationem uerae scientiae effectricem requiruntur, non enim
d subiectum tale habet, quale ad scientiam contemplatiuam requiritur; scientia quidem subiectum postulat aeternum, non contingens, quod arbitrio nostro esse, ac non esse possit; at Syllogismus, & omnes (addamus nos) secundae notiones

sunt opus, & figmentum nostrum, quare idoneum scientiæ subiectum non sunt. a
Pro intelligentia responsionis ad alterum subtilis Doctoris argumentum, quo probat Logicam in usu positam non esse scientiam, aduertendum esse scribunt, Logicam duas inter cæteras habere partes, demõstratiuam unam, quam in libris Posteriorum Aristoteles tradit, & alteram dialecticam, de qua agit in libris Topicorum; inter quas illud inquiunt esse discrimen, quod demonstratiua, dum præcepta, ac regulas docet, non sit scientia, sed instrumentum scientiarum, ut uero applicatur rebus, sit uere scientia, non quidem scientia, quæ dicatur Logica, sed scientia naturalis, uel geometrica, uel alia, quia tunc procedit ex propriis illius scientiæ principiis, cui applicatur. Facultas autem topica non modo ut docens non sit scientia, sed neque ut in usu posita, quia dum alicui scientiæ applicatur, non sumit propria eius scientiæ media, sed communia, quæ scientiam non pariunt. Hac posita Logicæ partium distinctione, respondent, falsum esse, eam Logicæ partem, quæ demonstratiua dicitur, rebus applicatam non esse scientiam, b
immo asserunt fieri uere scientiam illam, cui applicatur, quia (ut aiunt) natura instrumenti spiritalis applicati non potest inspici distincta ab eo, cuius est tale instrumentum, quod ex Aristotele colligunt in tertio libro de Anima, ubi dicit, Mentem nostram intelligentem fieri illam ipsam rem, quæ intelligitur, quia intellectio est receptio speciei incorporeæ, & spiritalis, proinde idem est id, quod intelligit, & id, quod intelligitur, & ipsa intellectio: Sed si intelligatur de altera Logicæ parte, quæ dialectica nuncupatur, concedunt, illam nec à rebus seiunctam, nec rebus applicatam esse scientiam; hinc est, quod illa pars, uidelicet, demonstratiua, cum procedat ex propriis principiis uniuscuiusque scientiæ, nomine Logicæ relicto, nomen illius scientiæ accipit, cui applicatur; hæc uero, nempe dialectica, cum procedat ex communibus, non potest scientiæ, cui applicatur, nomen sumere, sed suum retinet: quapropter dialecticæ rationes uocantur rationes logicæ ab Aristotele, quando in Philosophia rationibus leuibus, & communibus utitur, quam huius appellationis causam à nemine inquiunt se uidisse unquam fuisse declaratam. c

Posita impugnatio destruitur.
CAP. XIII.

PArcant mihi qui hæc in medium attulerunt, ratione enim, quam formarunt, propositum non assequuntur, quoniam attribuunt scientiæ in communi id, quod alteri eius speciei, nempe scientiæ reali competit, ut circa rem extra animum tantummodo necessariam uersetur; qui modus probandi perinde est, ac si quis probaret, equum non esse animal, quia non est rationalis, quamuis enim non sit rationalis, non sequitur, eum non esse animal, quoniam animal non solum de rationali, sed etiam de irrationali, sicuti est equus, praedicatur: Cum igitur d
scientia in communi sit de ente reali, & rationali, non ualet à negatione partis ad negationem totius, uidelicet, Logica non est de ente reali, ergo Logica non

a est scientia, sicuti non sequitur, equus non est rationalis, ergo non est animal, quia scientia in communi (ut dictum est) & de ente in animo, & de ente extra animum dicitur, non secus, ac animal de rationali, & irrationali. Patet itaque rationem illam non concludere contra latinos, quoniam solum probat, Logicam non esse scientiam realem; patet etiam quod negocium non facescit auctoritas philosophi in primo Priorum locis citatis, in primo Topicorum capite nono, & in secundo Diuinorum contextu decimo quinto, quia ibi loquitur Aristoteles de scientia in specie, nempe de scientia reali, cuiusmodi non est Logica, non autem de scientia rationali, de qua intelligit eruditissimus scotus, quando dicit, Logicam esse scientiam: quam rationalem scientiam comparatam scientiæ reali nuncupari modum scientiæ, similioremq; esse Artibus, quàm scientiis realibus dicimus nullum arguere inconueniens contra Doctoris subtilis, & omnium ferè Latinorum positionem, quoniam quo ad primum, etiam demonstratio Quia, licet
b demonstratio sit, in comparationem demonstrationis Propter quid uocari solet Syllogismus, quo uero ad alterum, similitudo non est identitas. Quod autem dicunt ante primi argumenti dissolutionem de Arte medica, & ædificatoria, si eas tanquam Artes docentes constitueremus, non uidetur mihi admodum tutum, quia licet Artes illæ subiectum proprium haberent, de quo ex eorum sententia multa possent per propria earum principia demonstrare, ex hoc tamen nō sequitur, Artem medicam, & ædificatoriam docentes debere esse scientias speculatiuas, quoniam scientiæ simpliciter non sunt, cum nec de ente rationali, nec de reali necessario tractent, quorum omnium est scientia communiter sumpta, sed de ente reali contingente, ex quo Ars, non scientia realis efficitur. Nec obstat, Medicinæ subiectum esse ens reale necessariū, quia respectu finis contingentis scientia nuncupari non potest. Si itaque Artes docentes non sunt scientiæ, nec sunt quidem scientiæ speculatiuæ, cum semper à superiori ad inferius ualeat consequen-
c tia negatiue. His animaduersis, de responsione ad primum Doctoris subtilis argumentum nihil aliud dici potest, nisi illud ab ea non dissolui, habet enim Logicus subiectum æternum, & necessarium, quamuis circa ens rationis uersetur, propterea quòd ibi considerat ea, quæ sunt necessaria, & æternæ ueritatis, ut gratia exempli, demonstratio est syllogismus scientialis, demonstratio constat ex ueris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis conclusionis, & infinita huiusmodi alia. Præterea, licet Logicus non habeat reale subiectum, quod realis scientia postulat, & propterea realiter non demonstret, non sequitur idcirco eum nō esse scientem, cum absolute scientia non solum de reali, sed etiam de rationali scientia dicatur; sat igitur est, ut Logicus demonstret demonstratione rationali, atq; ideo rationali scientia sit sciens, licet non demonstret reali demonstratione, quare primum argumentum manet adhuc in robore suo. Quatenus uero spectat ad alterius argumenti dissolutionem, antequam in medium afferamus quid de
d illa sentimus, aduertendum esse duximus, Doctorem subtilem à ueritate non recedere, quando dicit, Logicam in usu positam non ex propriis, sed ex communibus procedere, si per Logicam intelligit partem Topicam; si au-

tem totam Logicam intelligat, cum ueritate (quod pace tanti uiri dictum sit) a minime conuenire, quoniam ea pars, quæ demonstratiua nuncupatur, in usu posita semper ex propriis uniuscuiusque scientiæ, cui applicatur, principiis progreditur. Hoc animaduerso, responsio ad alterum argumentum aliquid difficultatis patitur, quia de ratione instrumenti, ut instrumētum est, quod amplectitur instrumentum rebus applicatum, & ab illis seiunctum, nec non corporeum, & spiritale, est solum alteri inseruire, & propterea esse instrumentum, non autem ut fiat res illa, cui applicatur, quoniam applicatio instrumenti, quodcumque illud fuerit, cū sit quid accidentale, eius naturam non uariat. Demonstratiuum itaque instrumētum, quod spiritale est, applicatum scientiæ non potest fieri uere, & formaliter scientia illa, cui applicatur, sed utique causaliter, quatenus scilicet parit, & aggenerat scientiam, quemadmodum generatio ab Aristotele dicitur natura, pro ut est uia in naturam: sicuti igitur generatio non est uere natura, licet sit uia in naturam, ita instrumentum spiritale applicatum scientiæ non fit uere ea scientia, cui applicatur, quamuis pariat, & aggeneret scientiam illam, alioquin idem esset faciēs, & factum. Philosophi autem auctoritatē in tertio libro de Anima existimamus non facere ad propositum, quia philosophus ibi comparat potentiam intelligentem rei intellectæ, ipsi uero comparant instrumentum spiritale scientiæ; Præterea, non uidetur cum ueritate conuenire, ut Mens nostra intelligens fiat uere res ipsa, quæ intelligitur, alioquin Intellectus intelligens lapidem, & lignum, fieret uere lapis, & lignum, quod est ridiculum, & tamen ipsi non dubitant, instrumentū spiritale applicatum scientiæ fieri adeo uere ipsam scientiam, cui applicatur, ut ratio instrumenti spiritalis applicati non possit inspici distincta ab eo, cuius est tale instrumentum, uidelicet spiritale. Verùm quidem est, sicuti de sententia philosophi intellectus fit res intellecta, nimirum lapis, & lignum non uere, sed secundum similitudinem, quatenus, scilicet, habet speciem lapidis, & ligni; ita instrumentum spiritale applicatum scientiæ fieri scientiam illam non uere, sed secundum similitudinem, uidelicet, pro ut scientiam illam parit, & eius est causa instrumentaria. Cum itaque rationi congruere non uideatur, ut demonstratio applicata scientiæ amittat rationem instrumenti, & fiat uere scientia illa, cui applicatur, non mirum est, si à nemine uiderint unquam declaratum fuisse, rationes topicas hac de causa ab Aristotele Logicas uocari, quia retineant nomen totius, idest, Logicæ nomen, cum applicatæ nouum scientiæ nomen, cui applicantur, non acquirant, demonstratiuæ autem, relicto Logicæ nomine, illius scientiæ, cui applicantur, nomen accipiant; quoniam omnes communiter dicunt, hoc nomine rationes topicas ab Aristotele Logicas nuncupari, quia, ut etiam ipsi confitentur, ex communibus, seu ex probabilibus principiis progrediuntur.

a *De quæstione Propter Quid sit.* CAP. XIIII.

EXplicata quæstione Quale sit, reliquum est, ut Propter quid sit declaremus, in qua quæstione non multum immorabimur, cum enim coincidat cum fine, de ea mentionem fecimus in quæstione Quid sit, dum agebamus de Logicæ fine. Propter hoc igitur inuenta fuit Logica ex philosophi sententia in primo Topicorum libro capite nono, ut posset utrique parti philosophiæ adminiculari. Hæc autem sunt quatuor illa quæsita, in quibus latenter comprehenduntur magna ex parte prolegomena, quæ examinare assueti erant antiqui Interpretes in principio cuiuslibet Disciplinæ; nam in quæstione An sit habetur nomen Auctoris, cum ibi dictum sit Logicam artificiosam, de qua est intentio nostra, à philosophis inuentam, & ab Aristotele tandem perfectam, atq; absolutam fuisse. In quæstione autem Quid sit (intelligendo de nomine) notum fit unde fuerit desumptũ
b nomen Logicæ, (rem uero denotando) tum ratione subiectæ materiæ, tum ratione finis, habetur in hac disciplina Aristotelis intentio, quæ nulla alia est, nisi tradere præcepta construendi instrumenta utrique philosophiæ parti inseruientia. Ex quæstione uero Propter quid sit, & ex quæstione Quid sit ratione finis colligitur huius disciplinæ utilitas, cum utrique parti philosophiæ adminiculetur; colligitur quoque eius ad totam philosophiam proportio, quæ est secundum proportionem materialium instrumentorum ad Artes mechanicas, nam sicuti Artes illæ absq; suorum instrumentorum usu, nec acquiri, nec exerceri possunt, ita Philosophia sine Logica.

De Logicæ librorum ordine. CAP. XV.

HIS determinatis, de Librorum ordine, quibus Logica præcepta ab Aristotele traduntur ad construenda instrumenta id, quod ignotum est, notificantia
c aliquid agemus. Pro cuius rei faciliori intelligentia notare debent Iuniores ex sententia Ammonii in præfatione libri Prædicamentorum circa finem, Auerrois in secundo Physicorum com. octuagesimo nono, & in 7. Diuinorum com. 23. nec non ipsiusmet philosophi in 3. de Anima tex. com. 49. & lib. 3. eth. quod contemplatio, & operatio seu Intentio, & executio contrario modo progrediuntur, ita ut finis unius sit principium alterius, & è conuerso, ut gratia exempli, Qui domum sibi ædificandam proponit, ut à nimio calore, & frigore, ab imbribus, & uentis se, & alios tueatur, resoluit primò domum in eius intentione iam constructam existentem, uidet enim id fieri non posse, ut scilicet ab huiusmodi incommodis se, & alios tueatur, nisi tectum adsit, tectum adesse non potest, nisi extruantur parietes, parietes extrui non possunt, nisi iaciantur fundamenta, hæc denique nõ possunt iaci terra non effossa. Hic contemplatio, aut Intentio desinit, & propterea à terra effodienda incipit operatio, uel executio, qua effossa, iacit funda-
d menta, deinde parietes erigit, postremo tectum struit, Atq; hinc perficitur domus, cuius auxilio poterit à plurimis incommodis se ipsum, & alios tueri; domus igitur, quæ fuit prima in Intentione ædificatoris, fit ultima,

& finis in executione. His itaq; conſtitutis dicimus, cum philoſophus uellet in Logica diſciplina tradere præcepta conſtruendi inſtrumenta quod ignotum eſt notificantia, ei maxime curæ fuiſſe demonſtrationem, tum quia efficacius notificat, tum etiam, quoniam tunc temporis non erat ita perfecte cognita, ſicuti alia omnia inſtrumenta; Verum cum demonſtratio ſit ſyllogiſmus faciens ſcire ſpecierum proprietates, intellexit philoſophus, eam percipi non poſſe, ignorato ſyllogiſmo, qui minime cognoſci poteſt, non habita cognitione propoſitionum, ex quibus componitur; hæ autem percipi non poſſunt, niſi termini ſimplices cognoſcantur, ex quibus conſtituuntur. Hinc colligitur, Ariſtotelem in libro Prædicamentorum primum abſolute agere de terminis ſimplicibus fundatis in rebus, prout ſeriem, & ordinem prædicamentalem conſtituunt, ideſt, ſub ratione generum & ſpecierum, uel ſub ratione ſuperiorum, & inferiorum; poſtea de iis in principio libri Perihermenias agere in ordine ad enunciationem abſolute ſumptam ſub ratione nominis, & uerbi, ex quibus enunciatio conſtituitur; demum in principio primi Priorum de iiſdem terminis tractare in ordine ad propoſitionem ſub ratione ſubiecti, & prædicati, ex quibus componitur propoſitio in ordine ad ſyllogiſmum conſiderata; ſicuti enim duplicem tractationem fecit philoſophus de enunciatione, unam abſolute in libro Perihermenias ſine ullo reſpectu, ut enunciatio eſt, alteram uero in Prioribus cum reſpectu, ut propoſitio eſt in ordine ſumpta ad ſyllogiſmum, quem conſtituit; ita duplicem (ut diximus) tractationem facit de terminis ſimplicibus, alteram abſolute in libro Categoriarum, alteram autē cum reſpectu uel ad enunciationem ſub ratione nominis, & uerbi in principio libri Perihermenias, uel ad propoſitionem ſub ratione ſubiecti, & prædicati in libris Priorum; nullum enim inconueniens eſt, idem diuerſa ratione in diuerſis eiuſdem diſciplinæ partibus conſiderari; quæ quidem terminorum ſimplicium tractatio ſub ratione nominis, & uerbi in eodem libro eſſe debebat, in quo de enunciatione agitur, quemadmodum tractatio de propoſitione, quæ ad ſyllogiſmum refertur, eſt in eo libro, in quo agitur de ſyllogiſmo. Ex qua ratiocinatione elicitur, eandem eſſe proportionem inter terminos ſimplices, & nomen, ac uerbum, quæ eſt inter enunciationem, & propoſitionem. Intendens igitur philoſophus demonſtrationem conſtruere, incæpit à libro Categoriarum, in quo agit de terminis ſimplicibus, ideſt, de ſecundis ſimplicibus Intentionibus rebus applicatis, uel de rebus ſecundis Intentionibus ſimplicibus ſubſtratis. deinde in libro Perihermenias agit de enunciationibus, quæ ex ſimplicibus illis terminis ſub ratione nominis, & uerbi componuntur. præterea, in libris priorum tractauit de ſyllogiſmo, qui ex enunciationibus ſub ratione tamen propoſitionum conſtituitur. ultimo in libris Poſteriorum ad Demonſtrationem deuenit, quæ prima in Intentione fuit. Verum quia ſyllogiſmi alia præter demonſtrationem ſpecies eſt, uidelicet ſyllogiſmus dialecticus, qui in philoſophia maximo per ſæpe uſui ſolet eſſe, ad confirmandamq; demonſtrationem nonnunquam affertur, de illo quoque in Topicorum libris philoſophus pertractauit. denique cum multi ſophiſtæ reperiantur, qui ueri, & probabilis naturam fallaciter imitando adulte-

a rant, ac nostris mentibus maximas tenebras offundunt, importunas eorum tec nas in elenchis detegere uoluit.

Ex aliorum sententia Auctoris opinio impugnatur.
C A P. XVI.

HAEc omnia, quæ diximus de proportione inter terminos simplices, de quibus agitur in libro Prædicamentorum,& nomen, ac uerbum,de quibus tractat philosophus in principio libri Perihermenias, si recte expendantur, inania (inquiunt Nonnulli) falsaq; esse cognoscentur; & primo ex ipsa uocum significatione, nomen enim,& uerbum nullam significant relationem ad enunciationem, sed significationem habent absolutam, ut uel cæcus id uidere posſit, nec possunt non mirari, aliquem ausum esse asseuerare hæc respectum notare ad enunciatio-
b nem; deinde ex horum tractatione,nam & ipsæ definitiones nominis, & uerbi,& omnia, quæ de ipsis dicuntur ibi ab Aristotele, omni respectu absoluta sunt,& nihil ibi dicitur, quod ad enunciationem referatur. Sed quænam erit eorundem tractatio cum respectu ad enunciationem? hanc facile erit inspicere in ipsa tractatione de enunciatione, nam tractatio partium respectu totius non potest esse disiuncta ab ipsa totius tractatione, quomodo enim de enunciatione agi potest, nisi partium ipsam constituentium consideratio fiat? partes autem eius sunt subiectum,& prædicatum, quæ passim ibi terminantur, & considerantur ab Aristotele; quæ enim simpliciter sumpta dicuntur nomina,& uerba, ea respectu enunciationis, mutato nomine, dicuntur subiectum, & prædicatum, ut quam rationem enunciatio ad propositionem habet, eandem habeant nomen, & uerbum ad subiectum,& prædicatum, significant enim eandem rem tum simpliciter,tum respectu alterius consideratam. duplex igitur est tractatio de simplicibus termi-
c nis, una absoluta in principio libri de Interpretatione, quando agitur de nomine, & uerbo; altera notans respectum ad enunciationem, quando in ipsa enunciationis tractatione uocantur subiectum,& prædicatum,quo in loco nulla fit mentio nominis, & uerbi, nisi quatenus in enunciatione sunt subiectum, & prædicatum, hac enim ratione referuntur,sed non quatenus nomina,& uerba sunt. Huic opinioni, ut scilicet in principio libri Perihermenias Aristoteles consideret nomina, & uerba absolute,quæ postea in eodem libro respectu enunciationis,mutato nomine, dicuntur subiectum,& prædicatum,facile subscripserunt,quia opinantur, res, de quibus philosophus agit in libro Categoriarum inter Logicos primo, non esse ibi secundis Intentionibus opertas,sed incipere illis substerni in principio libri Perihermenias, nam inquiunt, (iam igitur ad propositum redeundo, manifestum est cur Aristoteles librum Categoriarum in ipso Logicæ Artis exordio scribere uoluerit; cum enim res omnes sint in Logica subiectum operationis
d sicuti humanum corpus in Arte medica, necessaria Logico fuit aliqua ipsarum rerum cognitio, prius quàm eis secundas notiones imponeret, &c.) ergo in libro Prædicamentorum rebus non sunt impositæ secundæ notiones,si Logico necessaria

cessaria fuit aliqua ipsarum rerum cognitio, priusquam eis secundas notiones im- a
poneret; quod clarius confirmant, dum aiunt, (uocibus enim primæ notionis ip-
se alias secundas uoces imponit, quod facere incipit in illo primo capite libri de interpretatione, ubi summo cum artificio librum illum cum libro Categoriarũ connectit, accipiens uoces significatrices rerum iam consideratas in libro Categoriarum, & in eis imponere incipiens secundas notiones, à simplicibus exordiens, quæ sunt nomina, & uerba, &c.) si itaq; in principio libri de interpretatione incipit philosophus imponere secundas notiones uocibus res significantibus, de quibus agit in libro Categoriarum, res in libro Categoriarum non sunt secundis notionibus opertæ.

Instantia contra determinationem Auctoris respondetur.

C A P. X V I I.

b

HAEc opinio super duobus dictis fundata, qua impugnatur sententia nostra, in utroque non paucas uidetur pati difficultates, & primo circa primum dictũ, ut scilicet nomen, & uerbum nullum respectum denotent ad enunciationem, sed absolutam habeant significationem, sibi ipsis aduersantur, & ab Aristotele (quantum coniicere possum) recedere uidentur. Sibi ipsis eos aduersari patet, nam uolunt nomina, & uerba esse partes enunciationis, dum dicunt, (sed de simplicibus terminis primæ intellectus operationi respondentibus, qui uere partes enunciationis sunt, agitur in principio libri de interpretatione, & sunt nomina, & uerba, ex his dicit Aristoteles enunciationem constitui, non ex substantia, quãto, & quali, ut patet legentibus totum librum de interpretatione, in quo nulla unquam fit mentio substantiæ, uel quanti, tanquam partium enunciationis, sed semper nominis, & uerbi.) Si nomina, & uerba considerantur in libro de Interpretatione ut sunt partes enunciationis, sumuntur in ordine ad illam, cum partes habeant respectum ad totum. Oppositum postea tuentur, dum inquiunt, (duplex igitur est tractatio de simplicibus terminis, una absoluta in principio libri de interpretatione, quando agitur de nomine, & uerbo, altera notans respectum ad enunciationem, quando in ipsa enunciationis tractatione uocantur subiectum, & prædicatum, quo in loco nulla fit mentio nominis, & uerbi, nisi quatenus in enunciatione sunt subiectum, & prædicatum, hac enim ratione referuntur, sed non quatenus nomina, & uerba sunt.) Eos demum ab Aristotele recedere, omnibus manifestum esse existimo, qui diligenter primam sectionem libri Perihermenias, & ultimum caput secundæ sectionis legerint; attamen eorum mediis id ostendere placet, accipiendo, ut faciunt ipsi, nominis, & uerbi definitiones, sed primum pondero philosophi sententiam in capite de nomine, in quo cum nominis definitionem pluribus aliis communem tradiderit, eiusq; nonnullas particulas declarauerit, excludit à nominis definitione nomen infinitum, quia significat in- c d

a definite, & quod est,& quod non est; ex quo colligitur debere addi traditæ definitioni alteram differentiam, uidelicet, significans aliquod finitum, ut definitio illa hunc in modum sit; Nomen est uox significatiua secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata, finite aliquid significans. uerum quia sic intellecta nominis definitio comprehendit etiam eius casus,excludit illos ab huiusmodi definitione, quoniam iuncti cum uerbo neque uerum, neque falsum dicunt, nomen autem semper; ex quo iterum colligitur, traditæ nominis definitioni debere apponi aliam differentiam, uidelicet,ut iuncta uerbo dicat uerum, aut falsum, atq; ideo faciat aut affirmatiuam,aut negatiuam enunciationẽ. Cum igitur completa nominis definitio ex Aristotele per ea, quæ habet in toto illo capite,hunc in modum esse debeat, uidelicet, Nomen est uox significatiua ad placitum, finita, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata, & quæ iuncta cum uerbo dicit uerum, uel falsum,& propterea facit enunciationem; luce clarius patet, nomen definiri ab Aristotele in ordine ad enunciationem, cum in ea reperiatur uerum, uel falsum. Sed in hoc fortasse hallucinati sunt illi, quia crediderunt, definitionem nominis ab Aristotele positam in principio capitis esse integram, & completam eius definitionem, quod falsum esse ex subsequentibus uerbis illius capitis optime percipitur.

Verbi autem definitionem esse traditam ab Aristotele in ordine ad enunciationem, manifestissime ostendunt ultima eius uerba,uidelicet,& est semper eorũ, quæ de altero prædicantur, nota; si itaque uerbum ex mente philosophi est nota eorum, quæ de altero prædicantur, uerbum definitur in ordine ad enunciationem. Alterum uero medium, quo probabant, nomen,& uerbum non accipi ab Aristotele in ordine ad enunciationem, erat ipsamet enunciationis tractatio; cuius partes aiunt esse subiectum,& prædicatum,quæ enim simpliciter sumpta dicuntur nomina,& uerba,ratione enunciationis (mutato nomine) dicuntur subiectum,& prædicatum. Videamus modo an hæc enunciationis tractationi respondeant. Aristoteles in capite de oratione post traditam enunciationis definitionem, ait, necesse est autem omnem enunciatiuam orationem ex uerbo esse,uel ex casu uerbi, nam ex uno, uel multis nominibus absque uerbo non efficitur enunciatio, quod probat per hominis definitionem, in qua licet plura sint nomina, si nõ addatur aut est,aut fuit, aut erit; aut aliquid huiusmodi,nondum oratio enunciatiua est. præterea, in ultimo secundæ sectionis capitulo, quod est primum caput secũdi libri Perihermenias,scribit philosophus hæc uerba, (erit igitur omnis affirmatio, & negatio uel ex nomine,& uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo, sine uerbo autem nulla affirmatio, uel negatio est.) Si affirmatio, & negatio hunc in modum se habent, ita etiam se habet enunciatio, quæ genus est ad affirmationem,& negationem. quibus in locis uidetur uelle philosophus enunciationem ortum ducere à uerbo, ergo uerbum est in ordine ad enunciationem, nec
d ibi mutat Aristoteles nomen,& uerbum in subiectum,& prædicatum, sed explicite ponit in enunciatione nomen,& uerbum. nisi dicant,nomen pro subiecto, & uerbum pro prædicato intelligi; sed licet id sit uerum in propositionibus de se-

fundo adiacente, in iis,quæ sunt de tertio, locum non habet,cum in eis uerbum a non accipiatur pro prædicato,sed pro copula connectente prædicatum cum subiecto, ut testatus est philosophus in primo Priorum capite primo circa medium in illis uerbis, (terminum autem uoco, in quem resoluitur propositio, ut prædicatum; & de quo prædicatur, uel apposito , uel separato esse, aut non esse) patet itaq; ex eius sententia uerbum non esse terminum propositionis consideratæ in ordine ad syllogismum,& de tertio adiacente, de qua præcipua eius intentio est, dico non esse terminum huiusmodi propositionis materialem,sed utique formalem. Præterea, prædicatum redditur infinitum,uerbum autem substantiuum minime,non potest igitur huiusmodi uerbum sumi pro prædicato. causa huius erroris fuit, quia existimarunt terminos simplices in rebus fundatos, de quibus agit philosophus in libro Categoriarum,æqualiter,& eodem modo sumi in ordine ad enunciationem,& propositionem, quod tamen falsum esse opinamur, nam in ordine ad enunciationem simpliciter sumptam, ut enunciatio est, de qua tractat in libro Perihermenias, accipiuntur sub ratione nominis,& uerbi,in ordine uero ad b propositionem, de qua propter syllogismum uerba facit philosophus in Prioribus analyticis, sumuntur sub ratione subiecti,& prædicati absque ullo inconuenienti, ut abundanter in capite decimo quinto declarauimus. Quod autem spectat ad alterum dictum de rebus in Prædicamentorum libro , implicat contradictionem dicere librum illum esse Logicum,& rebus ibi consideratis non esse impositas secundas notiones. nec respondere possunt, ut faciunt, in eo libro philosophi scopum esse agere de uocibus rerum significatricibus ut uocibus secundæ notionis tanquam fundamenta substernerentur, quia si actu in libro Categoriarum res non subiicerentur, sed subiicibiles essent secundis notionibus, sequeretur, librum illum non esse actu Logicum, cum ibi res actu modo Logico non cōsiderentur, ergo frustra positus esset ante librum Perihermenias,propterea quod etiam in Metaphysica,ubi agit philosophus de decem Categoriis,res sub illis Categoriis compræhensæ potentia essent Logicæ, & propterea secundis notioni- c bus subiicibiles. Res uero actu in libro Categoriarum secundis notionibus subiici, facile comprehendi potest ex titulo,& intentione, atq; ex iis, quæ in singulis prædicamentis præsertim in prædicamento substantiæ tractantur. uerum quia titulus ut in pluribus ex intentione sumitur, dicimus intentionem philosophi esse, tradere ibi notitiam omnium notionum simplicium rerum in ordine ad affirmatiuam,& negatiuam enunciationem, in qua uerum, & falsum continentur , ut in omni scientia formare,ac formatas enunciationes ueras,& falsas cognoscere possimus; quæ quidem intentio ex iis,quæ ante Categorias traduntur,non modo elicitur, sed & in ipsis explicite habetur. Cum itaque in libro Categoriarum considerentur entia in ordine ad prædicationes,clare patet ex Aristotelis intentione res ibi actu subiici,& substerni secundis notionibus; & clarius hoc ex titulo habetur, cum enim propositio ex subiecto, copula,& prædicato, quæ secundæ notiones sunt, consistat, à prædicato, quod subiecto,tamquam forma materiæ, inniti- d tur, facta denominatione, librum illum Prædicamentorum librum placuit philo

sopho nuncupare. Ex iis quoque, quæ in singulis prædicamentis, & præcipue in
prædicamento substantiæ tractantur, manifestissime hoc idem colligitur, in quo
prædicamento multa reperiuntur, quæ ad rem nostram attinent, sed nunc ad oste-
dendum quod intendimus satis esse possunt substantiæ diuisio in primam, & secun
dam, descriptiones, & communitates, quæ omnia manifestissime indicant, res
ibi considerari in ordine ad secundas notiones; & licet ex communitatibus ali-
quæ uideantur esse positæ secundum naturam substantiæ, & ut extra intellectum
est, reduci tamen possunt ad modum prædicandi, & ad propositionis constitutio
nem, nam cum dixisset substantias secundas qualitatis rationem induere, qualita
tique sit aliquid contrarium, ne aliquis secundas substantias ueras qualitates exi-
stimaret, coactus fuit proprietatem illam adducere, uidelicet, substantiis nihil es-
se contrarium, quæ proprietas ad propositionem reducetur, ut scilicet nihil se-
cundum contrarietatem dicatur de substantia, uel, quæ in genere substantiæ
b inuicem prædicantur, non ita prædicantur, ut contrarium de eodem dici
d possit, adduxit etiam alteram proprietatem, quae præcedentem sequitur, uide-
licet, substantiam non suscipere magis, & minus, illamq; ad propositionem
retulit, inquiens, unaquæque substantia, hoc ipsum, quod est, non dicitur se-
cundum magis, & minus, non enim Socrates est magis homo, quàm Plato, neque
nunc Socrates est magis homo, quàm prius. nec secus intelligenda est ultima
proprietas, quam dixit esse maxime propriam, unum, scilicet, & idem numero es-
se subiectum contrarietatis; cum enim esse in subiecto fundamentum sit ipsius es-
se de subiecto, uoluit docere nos philosophus, denominatiuas propositiones cõ-
trarias in substantia fieri posse.

De Logicæ disciplinæ librorum diuisione, ac de modo progrediendi in præceptis in ea disciplina tradendis pro instrumentorum
c *constructione ignotum notificantium.*


C A P. X V I I I.


HAbita cognitione ordinis librorum, in quibus præcepta ab Aristotele tra-
duntur instrumenta construendi ignotum notificantia, ad eorum diuisio-
nem accedimus, quæ ab expositoribus fit diuersis modis; credimus tamen nos,
eam desumi posse ab Aristotelis scopo, quem diximus esse præcepta tradere cõ-
struendi instrumenta ignotum manifestantia, inter quæ præcipue propter demõ-
strationem syllogismum philosophus spectat; qui, cum dupliciter considerari
posset, uel quo ad constitutiuas, uel quo ad subiectiuas partes, induxit nos ad
credendum, ut Logicæ disciplinæ libri in duas secentur partes, in quarum prima
d continente libros Categoriarum, Perihermenias, & Priorum, agit philosophus
de iis, quæ spectant ad syllogismi communiter accepti constructionem; in secun-
da uero comprehendente reliquos omnes libros de eiusdem syllogismi partibus

subiectiuis tractat. hinc est (nisi fallor) quod Auerroes in præfatione super libros posteriorum scribit, Logicam in duas præcipuas secari partes, quarum unam uniuersalem, seu communem, alteram particularem, siue propriam uocat; per partem communem innuit libros Categoriarum, Perihermenias, & priorum, in quibus (ut diximus) agitur de syllogismo in communi quo ad eius constructionem; per propriam uero posteriores analyticos, & cæteros omnes subsequentes libros, in quibus agitur de Syllogismo contracto, idest, de syllogismo quo ad eius partes subiectiuas. posita librorum Logicæ diuisione, circa modum progrediendi in huiusmodi præceptis in ea disciplina tradendis pro instrumentorum constructione ignotum notificantium, dicimus, Aristotelem his omnibus uti, nempe, Diuisione, Resolutione, & Compositione.

Deo, qui Trinus, & unus est,
Laus, Honor, & Gloria sit.

FINIS.






BERNARDINI PETRELLAE


LOGICARVM DISPVTATIONVM

Liber Secundus

DE PHILOSOPHI PROPOSITO IN POSTERIORIBVS ANALITICIS.

Essentialem specierum definitionem inter Logica instrumenta esse collocandam. C A P. I.





VM ad eius demonstrationis, quæ potissima nuncupatur, essentialisq; specierum definitionis intelligentiam iuuenes introducere cogitauerim, absoluta de uniuersa Logica disputatione, Posteriorum analyticorum, in quibus hæc instrumenta scientiis omnibus apprime necessaria tractantur, prolegomena prius examinare non inutile fore mecum ipse iudicaui, eorũ enim auxilio institutum nostrum facilius exequi poterimus. ut autẽ in huiusmodi negocio ordinatim progrediamur, ea in duo membra secare decreuimus, in quorum primo de philosophi intentione in Post. libris, accipiendo intentionem pro subiecta materia, in secundo uero de eorum inscriptione uerba faciemus; Quoniam uero de philosophi intentione in primo libro nulla est apud eius explicatores controuersia, omnes enim uno ore fatentur, agere ibi philosophum de principiorum demonstrationis cõditionibus, seu de materia demõstrationis, cũ de eius forma in prioribus actũ sit, ab huiusmodi speculatione supersedebimus, solũq; circa philosophi intentionẽ i secũdo libro uersabimur, uarii.n. de eius proposito ibi uaria locuti sũt. cũq; inter Aristotelis interpretes multi sint, qui substinere conantur in eo libro agi ad mentem philosophi de definitione pro ut instrumentum est contradistinctũ a de monstratione, largiẽs qđ quid ẽ cõmune ad substantiã, & accidẽs; facere nõ possumus quin disputemus, an id uerũ sit, qđ ab illis uidetur supponi, ẽẽ scilicet huiusmodi definitionem inter instrumenta Logicã collocãdam, ahoquin uana esset

a eorum ſpeculatio. Dicimus itaq; (ſumpto altius principio) Habituum Intelle-
ctus rationalium, alios eſſe primarios, alios ſecundarios, ſeu inſtrumentarios.
primarii, qui per ſe, non alterius gratia conſiderantur, (in iis enim per ſe uerum
eſt) quinque ſunt, ut teſtatum reliquit philoſophus in ſexto libro de Moribus
cap.3. uidelicet, Intellectus, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars, ab enteꝗ ex-
tra animam fluunt, qua de cauſa dicuntur etiam rerum habitus, nam ſcientia, ſa
pientia, & Intellectus ab ente neceſſario, Ars uero, & Prudentia ab ente contin
gente fluunt, Ars ab ente contingente effectiuo, Prudentia autem ab ente con-
tingente actiuo. at ſecundarii, qui alterius gratia, non per ſe conſiderantur, ab
ente in anima fluunt. cum igitur Logica ſit habitus rationalis ipſius Intellectus,
uerſeturꝗ circa entia rationis, ut in præfatione declarauimus, non poteſt collo
cari niſi inter habitus rationales ſecundarios, non ſecus, ac grammatica, quæ fi-
ne ab ea diſtinguitur; grammaticæ enim finis, & ſcopus eſt regulas tradere re-
b ctæ, congruentiſꝗ locutionis, qua iuuemur ad omnium diſciplinarum intelligen
tiam, audiendo, & docendo; Logicæ autem eſt præbere inſtrumenta utrique
philoſophiæ parti inſeruientia ad ſecernendum uerum à falſo, bonumꝗ à malo.
quoniam uero huiuſmodi Logica inſtrumenta hoc nomine utilia ſunt, uel quia
faciunt ut melius, & facilius res diſponantur, uel quia notificant illud, quod prius
ignorabatur, idcirco in duas à nobis partes diſtribuuntur, quarum una inſeruit
ad ſingulas ſcientiarum, Artiumꝗ partes congrue diſponendas, altera autem ad
notificandum quæ prius ignorabantur. Pars inſtrumentaria inſeruiens ad ſingu
las ſcientiarum, artiumꝗ partes congrue diſponendas, id facit aut reſoluendo,
aut componendo, aut diuidendo; ſi reſoluendo, dicitur inſtrumentum reſolutiuũ,
ſi componendo, compoſitiuum, ſi demum diuidendo, diuiſiuum, licet magis pro-
prie dicatur ordo reſolutiuus, compoſitiuus, & diuiſiuus; Pars autem inſtrumen
taria ſcientiæ notificando inſeruiens, id præſtat uel cum ratione, uel ſine ratione,
c ſi cum ratione, appellatur inſtrumentum demonſtratiuum, aut demonſtratio;
ſi uero ſine ratione dicitur inſtrumentum definitiuum, uel definitio. Ex qua habi
tus rationalis ipſius Intellectus partitione manifeſtiſsime apparet, eſſe Definitio
nem inter inſtrumenta Logica reponendam, & propterea à ueritate alienum, ut
neceſſe ſit, omne Logicum inſtrumentum, quod etiam Methodus nuncupari po-
teſt, illationis neceſsitatem habere.

Ratione, & auctoritatibus comprobatur quod dictum eſt de inſtrumento definitiuo.

CAP. II.

d Definitionem, licet non ratiocinetur, eſſe Logicum inſtrumentum probatur
ratione, & auctoritatibus confirmatur. ratio hunc in modum ſe habet, defi
nitio conſideratur à Logico, ergo definitio eſt Logicum inſtrumentum; Ante-

cedens

cedens clarissimum est ex Aristotele in septimo diuinorum tex:com: quadrage a
simo secundo,& ex Auerroe super illo contextu; consequentia probatur,modus considerandi Logici est ut instrumentum notificandi ex Auerroe in prologo primi Post: & in Epit: Logici circa principium, sed nihil consideratur ab Artifice,quod recedat ab eius modo considerandi,ergo definitio,cum à Logico cõsideretur, non potest ab eo considerari nisi ut instrumentum notificandi, est igitur definitio Logicum instrumentum. Confirmatur hoc auctoritate philosophi in sexto Topic. cap.primo,& tertio,quibus in locis ait, definitionem facere ut cognoscatur substantia,siue accipiatur substantia pro essentia,siue pro substantia contradistincta ab accidentibus. illud idem habetur in secundo Post: libro capite secundo: ubi philosophus ait (amplius,si definitio substantiæ quædam cognitio est, &c.) dixit, quædam cognitio,ut denotaret, non solum ratione, sed etiam sine ratione acquiri cognitionem. Et in eodem capite uolens philosophus b
inuestigare quo instrumento quæstio Quid sit nota fiat, proponit primum non nulla examinanda, inter quæ ponit hoc, an idem possit sciri demonstratione, & definitione, ex quo manifestissime uidetur uelle philosophus, definitionem facere ut sciatur,atq; ideo esse Logicum instrumentum,alioquin Quæstio ab eo proposita præter rationem adducta fuisset,si definitio non faceret scire;qua scientia per definitionem nulla ex eius sententia in septimo Diuinorum contextu quarto melior, atq; præstabilior esse potest. Demum in primo de Anima,& in primo Diuinorum utrobique tex: com. 48. uult disciplinas omnes pro instrumento uti demonstratione,& definitione,inquiens, (atqui omnis disciplina per præcognita aut omnia, aut aliqua est, & aut per demonstrationem, aut per definitionem.) quam philosophi sententiam secuti sunt Theophrastus,& Alexander, referente Eustratio in secundo posteriorum Commentario suo quadragesimo sexto, posuerunt enim & ipsi duas scientias, definitiuam scilicet, & demonstratiuam, c
& propterea duo instrumenta,nimirum, definitionem, & demonstrationem. ex qua philosophi ratione colligitur non esse ad mentem eius, ut omne Logicum instrumentum sit cum illationis necessitate. quare confirmatum redditur quod tradita habituum rationalium diuisio nobis ante oculos posuit, nempe,definitionem esse Logicum instrumentum.

Ex aliorum sententia obiectiones quædam contra ea, quæ de definitione proxime dicta sunt.

C A P. I I I.

NOnnulli contra ea, quæ dicta sunt, instare nituntur, probando pluri- d
bus mediis, non esse definitionem inter instrumenta Logica connumerandam, & primo definitione methodi proprie sumptæ, quæ est, intellectuale instrumentum faciens ex notis cognitionem ignoti, seu intellectuale instru-

E

a mentum notificans quod prius ignorabatur. intellectuale instrumentum Methodi genus est, quod ordinem quoque complectitur; facere autem ex notis cognitionem ignoti, uel notificare quod prius ignorabatur, est differentia, qua methodus proprie dicta ab ordine separatur; haec enim methodus illationis necessitatem habet, alioquin non diceretur notificans, cum notificare rem ignotam non possit esse sine illationis necessitate; ordo autem minime. Hac posita methodi proprie dictae definitione, instant hunc in modum, definitio methodi proprie dictae non competit definitioni, ergo definitio non est methodus proprie sumpta; Consequentia est clara per locum topicum a definitione ad definitum, Antecedens probatur, definitio non progreditur ex noto ad cognitionem ignoti cum illationis necessitate, quod est methodi proprie dictae definitio, ergo definitioni non competit definitio methodi proprie dictae; Antecedens probatur, si definitio progrederetur ex noto ad cognitionem ignoti cum illationis necessi-
b tate, ipsa esset terminus a quo notus, & quiditas, ad cuius cognitionem per definitionem ducimur, esset terminus ad quem ignotus; sed hoc est falsum, cum non definitio, & quiditas non discrepent nisi ut significans, & significatum, non potest definitio esse nota, dum quiditas ignoratur, ergo definitio non progreditur ex noto ad cognitionem ignoti cum illationis necessitate. Secundo, eadem est ratio definitionis ad quiditatem ab ea significatam, & nominis ad rem, quae ab ipso significatur, ergo si definitio est methodus, & instrumentum Logicum notificans quiditatem, nomen etiam methodus erit, & instrumentum Logicum rem ipsam notificans, sed hoc est falsum, ergo definitio non est Logicum instrumentum, sed instrumentum tantum significandi, ut patet ex eius definitione ab Aristotele posita in primo Top. cap. 4. quae hunc in modum se habet, (est autem terminus quidem oratio quid erat esse significans,) ubi terminus pro definitione accipitur, & licet Aristoteles in sexto Top. cap. 3. nec non in primo libro
c de Anima, & in primo Diuinorum utrobique tex: 48. comparans definitionem cum demonstratione dicat, quod definitio est ex notioribus, sicuti demonstratio, non uult philosophus eodem modo definitionem, ac demonstrationem ex notioribus esse, nimirum cum illatione ignoti ex notis, sed solum in hoc communi uult earum similitudinem consistere, ut utraque ex notioribus constet, alio tamen, & alio modo, nam demonstratio cum illationis necessitate progreditur, definitio uero minime; quo fit, ut altera quidem sit methodus, & instrumentum sciendi, nempe, demonstratio, altera uero, uidelicet definitio, nequaquam. Tertio, Aristoteles in primo de Anima. 4. & 5. con tex: quaerit, An sit aliqua communis methodus inuestigandi quid est in omnibus substantiis, methodos etiam aliquas nominat, subiungit enim, an sit demonstratio, an diuisio, an aliqua alia methodus; At uero si definitio, uel methodus definitiua esset proprium instrumentum, & propria methodus, qua noti-
d ficatur quid sit, uana certe esset quaestio Aristotelis eo in loco, non enim opus erat dubitare, & ad alias methodos confugere, cum in promptu esset communis methodus inuestigandi omnes rerum quiditates, nempe definitio,

seu methodus definitiua; igitur uidit Aristoteles definitionem non esse methodum, uel instrumentum notificandi quid sit, sed esse illud, quod per methodum notificatur quando latet; nam quærere quid res aliqua sit, est definitionem eius quærere, proinde definitio quando est ignota finis est methodorum, non methodus; quando autem nota est, notum est etiam quid res sit, nec methodo indiget, qua inuestigetur; propterea ibi Aristoteles non ipsam definitionem, sed alias methodos nominat. Quarto, & ultimo, Aristoteles in secundo priorum cap. 23. uerba faciens de inductione, ait, omnia enim credimus aut per syllogismum, aut ex inductione. quæ sententia legitur etiam in primo Post: contextu. 33. secundũ sectionem ueterem, in primo Rhetoricorum, & in sexto ethicorum utrobique cap. 4. si itaque omnia credimus aut per syllogismum, aut ex inductione, definitio non est instrumentum ex noto faciens fidem ignoti, alioquin male dixisset philosophus, omnia credimus aut per syllogismum, aut ex inductione, cum etiam per definitionem credamus. Ad rationem in oppositum respondent, negando consequentiam, licet enim Logica sit disciplina instrumentaria, tamen non est necessarium, ut quidquid in Logica tractetur, instrumẽtum notificandi sit, sed uel instrumentum, uel saltem ad Logica instrumenta respectum aliquem habens; definitio igitur in Logica tractatur non ut instrumentum, sed uel tanquam principiũ, uel tanquam finis Logicorum instrumentorum. Ad Aristotelem uero locis citatis dicunt, definitionem facere ut cognoscatur, & sciatur sine illationis necessitate, idcirco non esse methodum, & instrumentum sciendi. b

Soluuntur traditæ obiectiones.

CAP. IIII.

VT facilius intelligi possit quo tendant adductæ obiectiones, repetenda est diuisio Logicorum instrumentorum, quæ hunc in modum se habebat, Logicorum instrumentum aliud inseruit ad singulas scientiarum, Artiumq; partes congrue disponendas, aliud ad notificandum quæ prius ignorabantur; instrumẽti Logici inseruientis partium dispositioni, quod etiam ordo uocatur, aliud est resolutiuum, aliud compositiuum, aliud diuisiuum; instrumenti autem Logici scientiis inseruientis notificando, quod methodus quoque nuncupatur, aliud cum ratione, aliud sine ratione notificat; cum ratione notificat syllogismus, & omnes eius species, sine ratione uero definitio, ut patet per ea, quæ supra diximus in capite primo, & secundo. Hac posita Logicorum instrumentorum partitione, sumamus modo ex ea methodum cum suis speciebus, & uideamus quænam sit earum omnium ratio. dicimus itaq;, rationem methodi in genere nullam aliam esse, nisi notificare; eius uero specierum diuersam esse, alia enim est notificare cum illationis necessitate, alia autem minime; prima competit syllogismo, eiusque speciebus, & inductioni, secunda uero definitioni. Si itaque generi attribueret aliquis rationem alicuius speciei eiusdem generis, d

a abſque ullo dubio peccaret,cum ratio generis à ſuarum ſpecierum rationibus diuerſa ſit,ut gratia exempli,alia eſt ratio animalis,quatenus animal eſt, & alia ſpecierum eius,nempe,hominis,& equi,ut tales ſpecies ſunt.peccaret præterea, ſi uellet ſpeciem aliquam à genere ſuo remouere,eo quia non habet rationem alicuius alterius ſpeciei eiuſdem generis,ut ſi diceret,equum non eſſe animal, eo quia non eſt rationalis,peccaret (inquam) quoniam rationale eſſe,hominis, non animalis ratio eſt. cognitis methodi in genere, eiuſq; ſpecierum rationibus, facile percipi poterit,propoſitis obiectionibus minime probari, definitionem non eſſe methodum ſimpliciter,ſed non eſſe methodum talem, nimirum ratiocinatiuam, quod nos quoque concedimus.Reliquum nunc eſt, ut formaliter ad rationes in oppoſitum reſpondeamus,& primo ad primam,negando Antecedens, & ad probationem dicimus,eam peccare,quoniam generi attribuit id, quod alicui ſpeciei eiuſdem generis competit, licet enim definitio non progrediatur ex noto ad
b ignoti cognitionem cum illationis neceſſitate, inde tamen non ſequitur,eam nõ eſſe ſimpliciter methodum, ſed ſolum non eſſe methodum ratiocinatiuam, quæ eſt una ex ſpeciebus methodi ſimpliciter ſumptæ progrediens ex noto ad ignoti cognitionem cum illationis neceſſitate; ſicuti enim equus eſt animal eo quia animalis definitionem habet,quæ eſt,ſubſtantia animata ſenſitiua, & ſi non eſt animal rationale,quæ definitio hominis eſt,ita definitio eſt methodus,cum methodi definitionẽ habeat, quæ eſt notificare qđ ignotũ ẽ, quãuis nõ progrediatur ex noto ad ignoti cognitionẽ cum illationis neceſſitate, quæ definitio eſt methodi ratiocinatiuæ. Ad ſecundam, concedimus totam rationem, quã nihil aliud concluditur,niſi ut definitio ſignificans rei quiditatem, eam ſine illatione notificet, ſicuti nomen ſine ratiocinatione alterius nominis ſignificationem notificat, ex hoc tamen non ſequitur,definitionem inter Logica inſtrumenta connumerandã non eſſe,quia de ratione methodi,ſeu inſtrumenti Logici in genere ſcientiis inſer
c uientis notificando, eſt ſimpliciter notificare, quod comprehendit & notificare cum illationis neceſſitate, & notificare ſine huiuſmodi illatione. Concedimus quoque interpretationem illam uerborum philoſophi in ſexto Top. cap. 3. nec non in primo de Anima, & in primo Diuinorum utrobique contextu 148. ſed quando in calce inquiunt, (quo fit ut altera quidem ſit methodus, & inſtrumentum ſciendi,nempe demonſtratio,altera uero,uidelicet definitio,nequaquam,)negatur hoc,quia repugnat philoſopho in ſecundo Poſt: contex.2. ubi quærens an idem poſſit ſciri demonſtratione,& definitione,indicat tam definitionem, quàm demonſtrationem facere,ut ſciatur,atq; ideo methodum,ac Logicum inſtrumentũ eſſe diuerſa tamẽ ratione, nã demonſtratio eſt Logicũ inſtrumentũ cũ illationis neceſſitate,definitio autẽ minime. Pro ſolutione tertiæ obiectionis fũdatæ ſuper quarto, & quincto contextibus primi libri de Anima,aduertendum eſt, ſubſtantiam,& quod quid eſt rei ſumi poſſe uel pro definitione, uel pro ipſius rei
d eſſentia,quæ per definitionem exprimitur; ſi ſumatur primo modo, ignotaq; fuerit, ad eius inuentionem non concurrit definitio,quia idem ſe ipſum uenari non poteſt; ſi uero conſideretur ſecundo modo, tunc definitio, exprimendo de re

quod quid eſt, notificat illud. Hoc poſito, ad obiectionem reſpondetur, definitionem eſſe proprium inſtrumentum, & propriam methodum, quæ abſque illationis neceſſitate facit, ut rei eſſentiam, dum illam exprimit, cognoſcant ignorantes eam, cum de qualibet re quæſtioni Quid ſit ſola definitio ſatisfaciat. Vt gratia exempli, cognoſco ego ſimul hominis definitionem, & eius ſubſtantiam, ſeu quod quid eſt, poſſum tamen quæſtioni ab aliquo factæ de homine quid ſit ſatisfacere per eiuſdem hominis definitionem, reſpõdendo, eſt animal rationale, nec propterea uana eſt quæſtio philoſophi eo in loco, ubi quærens an ſit aliqua communis methodus inueſtigandi quid ſit in omnibus ſubſtantiis, methodoſq; nonnullas nominans, de definitione ne uerbum quidem, quia per Animæ ſubſtantiam, & quod quid eſt, intellexit ibi eius definitionem, quam per eandemmet definitionem (ut dictum eſt) indagare non poſſumus, quare ex induſtria philoſophus in illis contextibus ſilentio definitionem præteriuit. Ad alias Ariſtotelis auctoritates in oppoſitum, quibus innititur quarta, & ultima obiectio, dicimus, philoſophum, quando locis citatis aſſerit, omne, quod cognoſcitur, uel per ſyllogiſmum, uel per demonſtrationem, uel per inductionem cognoſci, intelligere de inſtrumentis ratiocinatiuis; nam iis in locis, & præcipue in ethicis loquitur de ſcientia, quæ per ratiocinationem acquiritur, progrediendo à noto ad ignotum cum illationis neceſſitate, & hac de cauſa non fecit ibi mentiõnem de definitione: at ubi oportebat loqui de quæſitis quomodo terminentur, ut fecit in ſecundo Poſt:, eam ſilentio non præteriuit, ſola .n. definitio quæſtioni quid ſit, quæ, ſicuti aliæ quæſtiones, idcirco quæritur ut ſciatur, ſatisfacere dicitur, cum ad interrogationem factam per quid, non demonſtratione, nec alia alia ratiocinationis ſpecie, ſed ſola definitione reſpondeatur. Quò uero ad impugnationem conſequentiæ noſtræ rationis, illa ex ea parte, qua diot, definitionem ordinari ad demonſtrationem ut eius principium, non uidetur eſſe ad modum tuta, quia hoc pacto conſiderata definitio non dicit quid, ſed propter quid, quod à nobis non negatur: Ex altera uero parte, qua uult, definitionem, quatenus dicit quid, tractari in Logica pro ut finis Logicorum inſtrumentorũ eſt, partim probatur, partim à ueritate recedit, quod manifeſtabitur infra, quãdo examinabimus, nonnullorum ex recentioribus opinionem de philoſophi conſilio in ſecundo Poſt: libro. Reſponſio demum ad Ariſtotelis auctoritatem locis citatis tantum abeſt ut deſtruat õpinionem noſtram, ut potius eam corroboret, quia etiam nos ex mente philoſophi exiſtimamus definitionem facere ut ſciatur ſine illationis neceſſitate; quando uero aiunt, propterea definitionem non eſſe methodum, & inſtrumentum ſciendi, cum ueritate eorum dictum non conuenit, ut patet ex habituum rationalium ipſius intellectus partitione ſuperius tradita, & Ariſtoteli repugnat in ſecundo Poſt: cap. ſecundo, ubi præſupponit definitionem facere ut ſciatur, ſi enim definitio ex eius mente facit ut ſciatur, ſequitur eam eſſe Logicum inſtrumentum, quoniam non eſt rationi conſentaneum, ut demonſtratio debeat dici inſtrumentum Logicum eo quia parit ſcientiam, definitio uero minime, cum etiam ipſa, licet ſine ratiocinatione,

scientiam pariat, etenim tam Logicum instrumentum est quod sine ratione, quàm quod cum ratione scientiam parit, cum de natura Logici instrumenti in genere solum sit notificare, quod cum ratione, & sine ratione esse potest.

Græcorum ferè omnium, & Latinorum sententia, fundamentaq; exponuntur de philosophi consilio in secundo Post: libro.

CAP. V.

CVM iam à nobis probatum sit inter Logica instrumenta esse definitionem collocandam, reliquum est, ut ad explicandum Aristotelis consilium in secundo Post: libro accedamus. in titulo huius Disputationis examinando propter eius claritatem nihil immorabimur, sed primo Aliorum opiniones referemus, secundo loco sententiam nostram aperiemus, tertio, & ultimo rationes nonnullas contra determinationem nostram in medium afferemus, eisq; satisfacere conabimur. Ex Græcis Ioannes grammaticus, ac Eustratius, & una cum illis tota ferè Latinorum schola hanc sequuntur opinionem, ut Aristotelis consilium in secundo Post: libro, sit agere de Medio demonstrationis pro ut est causa rei. Græcorum fundamentum huiusmodi est, postquam Philosophus abunde satis declarauit quæ aperienda erant de demonstratione, quid scilicet sit, per quæ fiat, & quomodo ab aliis syllogismis differat; rationi consentaneum erat, ut doceret, Medium in Syllogismo demonstratiuo esse causam rei, cum prius docuerit, illud esse causam illationis. Quodquidem ita declaro, Medium dicitur esse causa illationis, quando eius ope aliqua conclusio infertur, ut uidere est in his terminis ignotis. A. B. C. dum dicitur; omne B. est. A. omne. C. est. B. ergo omne C. est. A. nam. B. est causa ut inferatur hæc conclusio, omne. C. est. A. dicitur etiã Medium causa rei conclusæ, cum à tali medio res conclusa habeat essentiam, ut gratia exempli, Animal rationale dicitur esse causa risibilitatis in genere causæ efficientis non ueræ, seu per emanationem, quæ concurrit cum forma, quoniam risibilitas emanat in essentia, & conseruatione a b animali rationali, sed aduertendum hic est, Medium à forma syllogistica habere, ut sit causa illationis, à materia uero necessaria, ut sit causa rei. Cum itaque demonstratio sit composita ex materia, & forma (nam forma demonstrationis est syllogismus, materia uero sunt principia cum omnibus conditionibus positis à philosopho in primo Post: libro contex: V.) conueniens erat, ut Medium demonstrationis esset dupliciter causa; uidelicet, illationis, & rei, illationis, ex parte formæ, & rei, ex parte materiæ: ac de Medio demonstrationis, pro ut est causa illationis, actum est tum in primo Priorum, tum etiam in primo Post: libro contextu trigesimo primo, cum utrobique egerit Aristoteles de forma demonstrationis; ergo reliquum erat agere de illo, pro ut est causa rei, quod absoluit philosophus in secundo Post: libro, faciens ibi specialem tractatum de huiuscemodi Medio. confirmant hoc Græci te

stimonio philosophi in principio illius secundi libri, nam si quatuor sunt quæstiones ex Aristotelis sententia, & in qualibet quæstione Medium quærimus, non possumus non confiteri quin philosophi intentio sit in secundo Post. libro agere de Medio pro ut est causa rei. Verum quia contra se uidebant obiectionem de definitione, de qua ibi philosophus pertractat, respondet, per accidens id ab Aristotele factum esse, pro ut scilicet demonstrationis Medium est definitio, nã omnis demonstrationis principium est quod quid est, ut testatum reliquit philosophus in primo libro de Anima contex. xi. At ea, quæ per se, non quæ per accidens cõsiderantur, sunt attendenda; cum itaq; per se de Medio, & per accidens philosophus agat de definitione, (per se enim de ea agit in septimo Diuinorum) sequitur ut completa philosophi intentio in secundo Post. sit agere de Medio demonstrationis pro ut rei causa est. Ex Latinis Albertus cognomento Magnus in fauorem huius opinionis huiusmodi attulit rationem, Sicuti philosophus in libris Priorum de syllogismo duo fecit, nam primo docuit quomodo construatur syllogismus, secundo quomodo abundare possimus in ratiocinando, idest, quomodo Medium inuenire possimus, abundantia enim in ratiocinando consistit in Medii inuentione; ita duo docere debebat de demonstratione, primum, quomodo construatur demonstratio, secundum, quomodo abundare possimus in demonstrando, quod in medii demonstratiui inuentione consistit. Cum itaque debeat philosophus hæc omnia præstare, concludit Albertus, eum compleuisse propositum suum in secundo Post. libro. Pro eadem opinione corroboranda D. Doctor aliud habuit fundamentum, dicebat enim ex Aristotelis sententia in principio primi Post. Doctrinam demonstratiuam ex præexistenti fieri cognitione; quæ nihil aliud est, nisi demonstrationis principium, sed hoc duplex est complexum scilicet, & incomplexum, de complexo egit in primo libro, ergo in secundo de incomplexo; At incomplexum demonstrationis principium est Medium; de Medio igitur agere est præcipua Aristotelis intentio in secundo libro Posteriorum. Hæc sunt fundamenta, quibus ex Græcis Philoponus, ac Eustratius, & Latini ferè omnes arbitrati sunt, Aristotelis intentionem esse in secundo Posteriorum libro de Medio demonstrationis pertractare, pro ut rei causa est.

Prædictæ opinionis Impugnatio.

C A P. VI.

HAEC opinio (pace tantorum uirorum scripserim) non uidetur attingere mentem philosophi; si enim esset uera, sequeretur, Aristotelem in hac Disciplina diminutum fuisse, quoniam instrumentum, quo ad ipsius quid sit cognitionem ducimur, desideraretur, & ab eo prætermissum fuisset, quod Logicæ aduersaretur, cum ad eam spectet, ut perfecta dici possit, nobis instrumenta tradere, quibus ad omnium quæsitorum cognitionem liceat peruenire; hæc autem duo

a sunt demonstratio scilicet, ac definitio, nam demonstratione, An sit, Quale sit, & Propter quid sit ostenduntur, definitione uero notum fit Quid sit. si itaque eorum sententiam admittamus, ut in Posterioribus analyticis sola demonstratio tractetur, instrumentum definitiuum, quo quæstioni Quid sit satisfacere possemus, philosophus non tradidisset, quare mancus, reprehensioneq; dignus foret. Confutata huiusmodi opinione, ad fundamenta, quibus innitebatur, respondendum est, & primo ad Græcorum fundamentum dicimus, illud falsum esse, quia de Medio, pro ut est causa rei, satis superq; uerba fecit Aristoteles in primo libro Posteriorum, agendo enim de conditionibus principiorum demonstrationis, agit etiam de Medii conditionibus, non pro ut est causa illationis, quia de illo hac ratione egit in primo Priorum, sed pro ut est causa rei. Ad confirmationem respondemus, Aristotelem necessitate coactum, non ex professo facere ibi mentionem de Quæsitis, & de Medio, ut infra explicabimus, ubi apparebit etiam quanti momenti sit eorum responsio ad obiectionem de definitione, de qua per se (ut
b dicunt) ab Aristotele agi in septimo Diuinorum, falsum est, cum ibi de definitione tractetur in ordine ad quod quid est. Quo uero ad Alberti rationem, dicimus, eam negocium non facescere, docendo enim philosophus conditiones, & omnia ad potissimam demõstrationem requisita in primo libro, docet etiam quo modo huiusmodi demonstrationis Medium, pro ut est causa rei, inuenire possimus, nam percepta doctrina, quam ibi philosophus tradidit, optime demonstratiuum Medium inuenire poterimus; Sed Medium non potest esse demonstratiuũ, nisi sit etiam causa rei, ergo agendo in primo libro de conditionibus principiorum demonstrationis, agit quoque de Medio demonstratiuo, idest, de Medio pro ut rei causa est: At de syllogismo, non sat erat eum docuisse omnia ad syllogismi constructionem requisita, uerum debebat etiam docere quomodo in ratiocinando abundare, idest, Medium syllogisticum adinuenire possimus; dum enim
c agit de syllogismi compositione, de Medii Syllogistici inuentione minime agit, idcirco de syllogismo duo philosophus debebat facere; sed dum agit de constructione demonstrationis quo ad eius materiam, idest, dum in primo libro agit de materiæ demonstrationis inuentione; agit etiam de inuentione Medii demonstratiui, pro ut est causa rei, cum demonstrationis materia sit eius Medium; quare clare patet, similitudinem, quam inter syllogismum, & demonstrationem Albertus ponit, non esse admodum tutam, sed difficultatis aliquid pati, non secus ac Diui Doctoris fundamentum, uoluit enim tantus Vir à complexo incomplexum principium, seu Medium distinguere contra sententiam philosophi, qui demonstrationis materiam aliquando principia, aliquando Medium uocauit: tractando itaque philosophus in primo libro Posteriorum de principio complexo, tractat ibi quoque de incomplexo, & de Medio, quod est complexi pars præcipua; non est igitur Aristotelis intentio in secundo Posterio
d rum libro de Medio demonstrationis agere, pro ut rei causa est.

Quo-

Quorundam recentiorum opinio, eorumq́; fundamentum de philoſophi consilio in ſecundo libro Poſteriorum CAP. VII. a

EX recentioribus noſtri temporis nonnulli huius uidetur eſſe opinionis, ut Ariſtoteles in poſterioribus analyticis duas tantū methodos tradiderit, demōſtratiuā ſcilicet,& reſolutiuā, demonſtratiuā quidem primo, reſolutiuā uero ſecundo loco, & pro ut pendet à demonſtratiua, cuius rei argumentum ex eo deſumunt, quia in principio primi priorum, ubi philoſophus tam in poſterioribus quàm in prioribus analyticis intentionem ſuam proponit,& in Epilogo ſub calce ſecundi Poſteriorum, ubi colligit ea omnia, quæ dixit uſque ad locum illum, unicā demonſtratiuam methodum propoſuit, eamq; unam collegit, nullam de methodo reſolutiua mentionem faciens, quamuis ab eo conſideretur in Poſterioribus analyticis. Huius ordinis ratio eſt, quia uolēs philoſophus nobis methodū,& inſtrumentū tradere, quo ad rerū cognitionē duceremur, pfectā cognitionē primū reſpicere debebat, quæ ab eo inſtrumēto producitur, quod naturam in eius operationibus imitatur; hoc autem eſt potisſima demonſtratio, quā illi methodum demonſtratiuā appellāt; ſicuti .n. natura dū operatur procedit à cauſa, ita demonſtratio potisſima, dum in nobis aliquam rerū cognitionē generat. Iure igitur optimo in hac ſua principali intentione ſolū quænam ſit methodus pfectam ſcientiam tradens conſiderauit, non omnino ſpernēs noſtræ infirmitatis conſiderationem, immo ad humani ingenii imbecillitatem oculos conuertens, uoluit etiam docere nos uiam, qua in eorum notitiam ducamur, quæ licet ſecundum propriam naturam ſint nota, nobis tamen ignota eſse contingit; hæc autē ſunt cauſæ,& principia, ideo de methodo quoque reſolutiua loqui uoluit, quæ nos ad principiorum cognitionem perducit. huius reſolutiuæ methodi duas ponunt ſpecies, demonſtrationem ſcilicet ab effectu,& inductionem, quæ efficacitate inter ſe plurimum diſcrepant, demonſtratio enim ab effectu uſurpatur ad eorum, quæ ualde obſcura,& abſcondita ſunt, inuentionem, inductio uero ad eorum tantūmodo inuentionem, quæ non penitus ignota ſunt,& leui egent declaratione. quoniam uero uidebant obiectionem de definitione aduerſus latinos militare etiam contra ſententiam ſuam, reſpondent, definitionem non conſiderari à Logico, nec in Logica tractari ut inſtrumentum ſciendi, cum methodus, ſeu Logicum inſtrumentum non ſit, ſed uel pro ut ad præcipuam methodum, nempe ad demonſtratiuam tanquam eius principium dirigitur, uel pro ut eſt methodorum finis; de ea primo modo conſiderata agitur in primo, altero uero modo accepta in ſecundo poſteriorū libro. fundamentum huius opinionis illud eſt, qđ ad res omnes cognoſcendas duæ methodi ſufficiunt, demōſtratiua, & reſolutiua, nam omne, quod cognoſcendum proponitur, aut eſt ſubſtantia, aut accidens; ſubſtantia quidem tunc plene cognoſcitur quando perfecta ipſius habetur definitio, hæc ſi nota ſit, nulla eget methodo ut inueſtigetur; ſi uero ignota, per aliquam methodum uenanda eſt, per demonſtrationem quidem ue-

b

c

d

rum neuter quiditatiua rerum definitio est, non internus, ut patet per longum progressum apud Aristotelem in secũdo posteriorum à principio secundi cõtextus usque ad decimũ, neq; etiã externus, quoniã definitio contra sententiã philosophi in pri. Topicorũ Ca. 4. esset cognitio, & scientia inhærẽtiæ passionis in subiecto, ergo quiditatiua rerũ definitio methodi demonstratiuæ finis esse non potest, nisi dicant, definitionẽ esse finẽ methodi demõstratiuæ, prout ex ea elicitur; sed hoc dicere nihil est, quia definitio, quæ ex demonstratione p se elicitur, ẽ tantũmodo essentialis definitio cũ causa passionis demonstratæ, non ãt substantiæ definitio est, nisi p accidens, eo quia mediũ, qđ est causa passionis, ac dicit propter qđ, sẽp est in potissima demõstratione subiecti definitio, ut declarauimus in propria disputatione de medio. Præterea, licet in parte aliqua secũdi Posteriorũ libri Aristoteles agat de definitione, ut ex demonstratione elicitur, id tamẽ p accidẽs, nõ p se facit; cũ .n. in pri. lib. docuerit, tria quæsita, nẽpe, An sit, Quale sit, & Propter quid sit ostendi p demõstrationẽ, in secundo cõtextu secundi posteriorũ incipit inuestigare quomodo ꝙ qđ est haberi possit, & in decimo cõtextu determinat, definitionẽ, & si de definito p demõstrationẽ minime probari potest, ex demõstratione elici, quasi uelit innuere, si aliqua ex parte confert demonstratio ad cognitionẽ definitionis, id nõ aliunde euenire, nisi quia ex ea elicitur. p accidẽs itaq; , non p se in secundo posteriorũ libro agit philosophus de definitione prout ex demonstratione elicitur, sed Artifex nõ curat ea, quæ sunt p accidẽs, ergo falsum est, Aristotelẽ per se ibi agere de definitione prout elicitur ex demõstratione, cum de ea hoc nomine egerit in primo libro, nam tunc definitio ex demõstratione optime elicitur, quando demonstrationis principia constant ex omnibus suis conditionibus, si enim potissimæ demonstrationis principia non essent immediata, neq; causæ cur esset passio demonstranda, ex ea non possset elici perfecta eiusdem passionis definitio; uerum de conditionibus principiorum potissimæ demonstrationis per se agit in primo libro, eisq́; in secundo nullas præstantiores addit, ergo in primo libro per se quoque simul agit de definitione, quæ ex potissima demonstratione elicitur. Cum iam explicatum sit, Recentiorũ opinionem ratione sui non esse ex mente philosophi, reliquum est, ut illud idẽ declaremus ratione fundamenti, & primo ex rerum cognoscendarum natura, quæ duæ sunt, specierum scilicet proprietates, earumq́; specierũ essentia; proprietates methodo demonstratiua optime percipiuntur, specierũ uero essentia, & quiditas methodo resolutiua nequaquam, sed sola definitione cognoscitur, ut in superioribus dictum fuit; methodo enim resolutiua, quæ est demonstratio quia, ad inueniuntur solum ea principia, quæ postea in demonstratione à priori dicunt propter quid, passionisq́; demonstrandæ causalem definitionem, quod illis concedimus; principia uero, quæ respectu definiti dicant quiditatiuam definitionẽ, demonstratione quia ab Aristotele non inuestigãtur, ut infra declarabimus. præterea, quæstioni quid sit ignotæ nulla satisfacit methodus resolutiua, neque demõstratiua, sed solum definitio, qua omnes substantias cognoscimus, ergo præter methodũ demonstratiuã, & resolutiuam, datur etiã instrumentum definitiuum,

a quo manifestatur, & nota fit quæstio quid sit. cum ex rerum cognoscendarum natura declaratum sit,non esse ex sententia philosophi Recentiorum opinionem asserentium duas illas methodos ad tradendam rerum omnium cognitionem sufficere, reliquum est, ut illud idem aperiamus ex ipso methodi, seu Logici instrumenti communiter accepti progressu ea,quæ prius ignorabantur,notificantis. Dicimus itaq; de ratione huiusmodi Logici instrumenti non esse, ut à causa ad effectum,& è conuerso progrediatur,sed solum ut notificet,quod fieri potest, & cum ratione,& sine ratione,si cum ratione,fit uere scientificus progressus,uel à causa ad effectum,uel ab effectu ad causam,& in hunc sensum Recentiores optime dicunt; si uero sine ratione,ut patet de definitione,eorum sententia non probatur,cum in rei definitione nullo pacto fiat huiusmodi progressus ratiocinatio
b ni accommodatus, quare decipiuntur (nisi fallor) Recentiores, quia id generi attribuunt, quod uni eius speciei competit, suspecta itaque nobis uidetur hæc opinio tam ex parte sui, quam ex parte fundamenti.

Opinio Auctoris de Philosophi consilio in secundo Post: libro.

CAP. IX.

QVoniam quæ sciuntur,aliquo instrumento sciri oportet, idcirco quæ de re aliqua quæruntur,cũ quærantur ut sciãtur, aliquo instrumento sciri oportet; At quæ de re aliqua quærũtur,ut (si fieri possit) sciãtur,quatuor sunt,uidelicet,An sit,quid sit,Quale sit,& propter quid sit,ergo hæc quatuor aliquo instrumẽto sciri oportet: demõstratione sciuntur An sit, quale sit,&propter quid sit, definitione uero quid sit,cum illis demonstratio,huic autem definitio satisfaciat. Verum cõsiderare instrumenta sciendi,ut instrumenta sunt, ad Logicum spectat
c in libris Posteriorum,ergo in illis demonstratio à priori,& à posteriori,nec non definitio considerari debent,cum sciendi instrumenta sint. Dixi demonstrationem à priori propter perfectam demonstrabilium cognitionem, quæ à demonstratione per causam producitur,demonstrationem uero à posteriori propter ingenii nostri imbecillitatem,ad quam respiciens philosophus uoluit etiam demõstrationem Quia considerare,ut eius auxilio ad illorum cognitionẽ ducamur, quæ secundum propriam naturam sunt nota,nobis tamẽ ignota, sicuti sunt causæ, & principia. At quoniam in primo libro ex communi omnium consensu agitur de demonstratione,ut esse possit instrumentũ absoluens quæsita, An sit, Quale sit,& Propter quid sit, sequitur ut in secundo agi debeat de definitione, quæ possit esse instrumentum satisfaciens quæstioni Quid sit. Præterea, ex Aristotelis sententia duo de qualibet specie considerare debemus,substantiam scilicet, & accidentia propria, quæ omnia ex mente eiusdem philosophi in secundo Poste
d riorum non uno, sed duobus instrumentis cognoscuntur, demonstratione accidentia propria, substantia uero, seu essentia definitione. Hæc duo instrumenta, non posse ab Alio, quàm à Logico construi manifestum est,nam Logica est di-

sciplina instrumenta subministrans omnibus scientiis necessaria, cum per Aristo a
telem in primo Top. cap. nono Logica sit disciplina adminiculatrix, quo mune re fungitur sola instrumentorum ope. de demonstratione (ut diximus) communi omnium sententia egit Arist. in primo Posteriorum libro, & in secundo ipsiusmet philosophi, atque Auerrois testimonio de definitioue pertractatum est, ut est instrumentum à demonstratione formaliter contradistinctum, notã facies quæstionem quid sit, & rei substantiam; nam philosophus in septimo Diuinorum tex. commeut. 42. ait, se alio pacto considerare ibi definitionem, quàm fecerit in Analyticis: & Auerroes in commento super illum contextum (prætermissis multis aliis eius auctoritatibus) asserit, (considerare de definitionibus esse commune Logico, & philosopho, sed duobus diuersis modis, Logicus enim considerat de definitionibus ut est instrumentum, quod inducit intellectum ad intelligendas quiditates rerum, philosophus autem ut significat naturas rerum.) Si Aristoteles de definitione ut de instrumento secundum b
Auerrois interpretationem agit in Analyticis, sequitur, ut de ea agat uel in Prioribus, uel in Posterioribus; non in Prioribus, quia ibi agit de syllogismo in communi, licet eius principalis intentio sit agere de syllogismo pro ut forma demõstrationis est, ergo in Posterioribus, non in primo libro, quia in eo ex omnium Interpretum sententia philosophus agit de demonstratione, ergo in secundo.

Ex aliorum sententia nonnullæ obiectiones contra opinionem Auctoris.

CAP. X.

ADuersus hanc, quam sequimur, opinionem Nonnulli rationibus, & philoso c
phi, Auerroisq́ auctoritatibus instant, & primo rationibus hunc in modum. si definitio esset substantiæ cognoscendæ instrumentum, & hac de causa in secundo Posteriorum ab Aristotele consideraretur, uel esset substantiæ ab accidentibus contradistinctæ, uel substantiæ pro omni essentia acceptæ, cum solum his duobus modis substantia sumi possit; sed utrumque consequens est falsum, ergo & Antecedens. Probatur falsitas utriusque cõsequentis, nam si definitio esset instrumentum duntaxat substantiæ primo modo, idest, substantiæ categoricæ à nouem accidentium generibus distinctæ, sequeretur, non esse accidentium definitionem, quod est contra Aristotelem in primo Topicorum cap. septimo; si uero definitio esset instrumentum substantiæ secundo modo, hoc est, substantiæ pro omni essentia acceptæ, tunc scopus definitionis non esset (ut uolumus) à scopo demonstrationis separatus, quia si in eo sensu definitio est instrumentum cognoscendi substantiam, idest, essentiam tam substantiæ, quàm accidentis, nihil roboris ha- d
beret ratio nostra, quando, ex eo quòd in speciebus duo sunt cognoscenda, substantia scilicet, & accidens, colligimus, duobus instrumentis re distinctis ad eorum notitiam acquirendam opus esse; quoniam dicere possent, duo quidem esse

a cognoscenda, utraque tamen unico instrumento cognosci, nempe definitione, quare demonstratio superuacua erit. Secundo, si Aristotelis intentio esset agere in secundo libro de definitione ut de instrumento à demonstratione distincto, oportebat hunc librum non resolutiuum, sed definitiuum inscribi, uel de definitione, aut aliquo alio modo, ut inscriptio esset intentioni consentanea, nam uidetur uacare ratione ut in alterius methodi traditione altera inscribatur, & præcipue cum diuersæ sint specie inter se methodus resolutiua, & definitiua. Tertio, si in secundo Posteriorum ageret philosophus de definitione tamquam de instrumento à demonstratione distincto, secundus liber deberet præcedere primum, quare philosophus esset inordinatus. Probatur consequentia, Quæstio quid sit præcedit quæstionem Propter quid sit ex Aristotele in secundo Posteriorum, nā
b Propter quid sit præsupponit Quale sit, & hoc præsupponit Quid sit, ergo propter quid sit præsupponit quid sit, igitur quid sit præcedit propter quid sit; sed quid sit ad definitionem, de qua per nos agitur in secundo libro, & propter quid sit ad demonstrationem pertinet, de qua agitur in primo, ergo secundus Posteriorum liber præcederet primum, quare philosophus esset inordinatus, si in secū do ageret de definitione tamquam de instrumento à demonstratione contradistincto. Quarto si in secundo libro de definitione ageretur ut de altero instrumē to re distincto à demonstratione, liber Posteriorum nō esset unus liber, quia duas haberet subiectas materias, seu duos diuersos scopos, quorum neuter ad alterum dirigeretur, nam demonstratio ad substantiæ definitionem nihil confert, substantiæ uero definitio, quatenus ad substantiæ cognitionem refertur, nihil confert ad demonstrationem, confert quidem dum ad accidentia refertur tamquam ipsorum causa, sed dum substantiam cognoscendam respicit, eo uno munere fungitur declarandi quid sit substantia ipsa definita, in cuius muneris functione nullam cum demonstratione ipsa rationem habet. Quinto, & ultimo, si in secundo
c Posteriorum philosophus ageret de definitione tamquam de altero instrumento penitus à demonstratione distincto, certe non careret reprehensione, consequentia probatur, quia dum ibi proponit de definitione agendum tamquam de instrumento à demonstratione distincto, sæpius ad tractationem demonstrationis reuertitur, & has tractationes confundit, postquam enim longo sermone egit in secundo libro de definitione, ad demonstrationem redit, & docet quomodo ipsius Medium possit esse quodlibet ex quatuor causarum generibus; deinde iterum ad definitionem reuertitur, postea iterum ad demonstrationem, qui procedendi modus argueret philosophum maxima reprehensione dignum fore, si in secundo Posteriorum libro de definitione tractaret à demonstratione cō tradistincta; debuisset enim in primo libro totum de demonstratione sermonem absoluere, deinde in secundo seorsum de definitione loqui, si (ut nos asserimus) duo distincta instrumenta sunt demonstratio, & definitio.
d

Prædicta rationes soluuntur. a

CAP. XI.

VT ordinatim ad propositas rationes respondeamus, ad primam negamus falsitatem secundi consequentis,ad probationem, quod, posita ueritate nostræ opinionis, non separaremus, sicuti uelle uidemur, scopum definitionis à scopo demonstrationis, ratioq; nostra nihil roboris haberet, quando ex eo quod in speciebus duo sunt cognoscenda, substantia scilicet, & accidens proprium, colligimus, duobus instrumentis re distinctis ad eorum notitiam acquirendam opus esse, negamus hoc: ad probationem, negamus, substantiam,& accidens posse tantummodo unico instrumento, nempe definitione cognosci, demonstrationemq; superuacaneam fore, cuius negationis ratio est,quia accidens considerari potest b uel in se quo ad eius essentiam, & ut definibile, uel pro ut subiecto inhæret, & ut demonstrabile; si consideretur primo modo, definitione cognoscitur, si uero secundo modo, demonstratione, cum simplici quæstioni (ut dictum est) definitio, complexæ uero demonstratio satisfaciat: quando igitur dicimus, substantiam definitione,& accidens demonstratione cognosci,per substantiam, tam accidentis, quam substantiæ proprie dictæ essentiam, per accidens autem, eius inhærentiam intelligimus; quamobrem scopus definitionis separatur à scopo demonstrationis, & propterea, superuacanea non erit demonstratio, sed ualde necessaria non secus ac definitio, cum demonstrabile, ut demonstrabile, tantummodo per demonstrationem, & definibile, ut definibile, per solam definitionem habeatur ex Aristotele in secundo Posteriorum contextu secundo. Ad secundam rationem respondemus, si absurdum esse uideretur, tractatum de definitione inscribi debere resolutiuum, quia diuersæ inter se specie sunt methodus resolutiua,& definitiua, eadem ratione deberet absurdum uideri,tractatum de demonstratione inscribi resolutiuum, cum diuersæ inter se specie sint methodus demonstratiua,& resolutiua; sed hoc absurdum non est, ergo nec illud. Cur autem libri Posteriorũ inscripti fuerint resolutorii, licet in illis de demonstratione, & definitione agatur, posterius suo loco aperiemus. pro solutione tertiæ rationis aduertendum est, Quid,& Propter quid considerari posse uel ex rei natura, idest, in se,ut talia quæsita sunt, uel ex nostro modo cognoscendi; si considerentur primo modo, absque ullo dubio Quid præcedit Propter quid, eo quia Propter quid supponit Quale, & hoc supponit Quid; si uero considerentur secundo modo, Propter quid præcedit Quid,cum per propter quid ducamur in cognitionem ipsius Quid tam substantiæ, quam accidentis proprii,sed huius per se, illius uero per accidens; Præterea, accidentium cognitio, quæ per propter quid habetur, multum confert ad cognoscendum Quid. Hoc posito, formaliter ad rationem respondemus, negando consequentiam, Ad probationem primo dicimus, illam ex rei natura esse ueram,ex nostro autem modo cognoscendi,quem respexit philosophus, esse falsam. Secundo respondemus, philosophum ex naturæ ordine, ut diximus, d

(margin letter c beside the line "re resolutiuum, quia diuersæ...")

omnibus in primo contextu peractis, in textu secundo inuestigare incipit qua a
uia quæstio Quid sit mõstrari possit, cũ de reliquis quæstionibus clarum sit, eas
per demonstrationem ostendi; & usque ad textum octauum diligentissime p-
pendens oẽs modos imaginabiles, quibus fieri potest ut ipsum quid sit manifeste
tur, singulos tamquam inutiles reiicit, syllogismum scilicet demonstratiuum du
plantem, diuisiuum, definitiuum, in cuius propositione maiori accepta fuerit defi
nitionis definitio, syllogismum conditionalem, pro cuius antecedente unius con
trarii definitionem assumimus ad habendam alterius contrarii definitionem, in-
ductionem, sensum, & demum ipsammet definitionem. in octauo determinat, licet
ipsius quod quid est non sit syllogismus, & demonstratio, sine demonstratione co
gnosci non posse ipsum quid sit, cuius est causa alia; quasi philosophus innuere
uellet, ut si aliqua in parte demonstratio sit utilis ad habendum quid sit, cuius c
est alia causa, in hoc solum sit utilis, quod eius auxilio innotescit, eo quia ex de-
monstratione elicitur; propterea inferre non possumus, philosophi consilium es
se in secundo posteriorum uelle de definitione agere pro ut elicitur ex demon-
stratione, quia per accidens quasi coactus de ea sic considerata ibi philosophus b
uerba facit. Cum itaque dixerit, non licere sine demonstratione cognoscere ipsũ
quid sit, cuius est alia causa, in nono contextu declarat quare dixerit, cuius est
alia causa, hanc distinctionem faciens, ut scilicet rerum aliæ alteram causam habe
ant, aliæ uero minime, cuius distinctionis utrunq; membrum explicat. Et quoniã
in calce illius cõtextus dixerat, definitionem esse ipsius quod quid est orationẽ,
quæ quidẽ oratio multis modis dicitur una, in decimo contextu ponit quot mo
dis oratio dicatur una, ut inde docere posset quomodo definitio sit una oratio,
ibiq; oẽs definitionis species enumerat, quæ faciũt pro demonstratione, ut cõmo
dius intelligi possit, cuiusnã rei sit illud quid est, qđ eatenus demonstratione co
gnoscitur, quatenus ex ea elicitur, & cũ determinauerit, quid est, qđ ex demõstra
tione elicitur, ẽe rei causã aliam habentis, quæ quidem causa principium, & me
dium demonstrationis est, quærere coactus fuit an hæc causa, quæ demonstra
tionis principium, & medium sit, ex omni causarum genere desumi pos- c
sit, quam speculationem statim in undecimo contextu aggreditur, ubi cum
ostenderit, per quatuor diuersas causas diuersos effectus demonstrari posse,
in duodecimo declarat quomodo per diuersas causas idem effectus demon-
stretur; in cuius fine cum docuerit quomodo per causam, quæ est simul
cum effectu, aliquid demonstretur, rationi consentaneum erat, ut decla-
raret quomodo demonstretur in causis, & causatis non simul existentibus,
quod absoluit in decimo tertio contextu, in quo dictum est, materialem,
& efficientem causam tempore suos effectus præcedere, quamobrem in de-
cimo quarto obiter quærit quomodo adinuicem iungantur, ita ut post
factum esse; sit etiam ipsum fieri in rebus, quærit (inquam) quid sit illud,
quod causam causato, rem scilicet factam ei, quæ fit, continuare possit,
propositam quæstionem optime dissoluens. cum uero declarauerit quomodo d
demonstrationis medium accipiatur quando causa non est simul cum causato

G

a in his,quæ fiunt in rectum,idest, in iis, quorum alterum alterius causa est, non autem è contra,ut gratia exempli,Domificator est causa domus, & conuerso uero minime: rationi consonum uidebatur,ut illud idem demonstraret in his,quæ circulariter fiunt, hoc est, in iis,quorum alterum alterius causa est, & è contra, ut patet de terra madefacta, & de pluuia, quod in decimo quincto contextu determinat philosophus, qui licet in superioribus contextibus de causis,pro ut medii naturam in demonstrationibus obtinent,multa dixerit,uoluit etiam in decimo sexto unum aliud addere, uidelicet, pro medio sumi posse causas ipsas uariatas,ut effectus uariari contingit;cum enim effectuū alii sempiterni, necessariiꝗ sint,alii uero ut plurimum,eodem modo ipsorum causas uariari necesse est,ut illæ,quarum effectus necessarii sunt,necessariæ, illæ autem,quarum effectus sunt ut
b plurimum,ut plurimum etiam sint,nam si essent necessariæ, effectus quoque contra suppositum necessarii essent. His peractis, in contextu decimo septimo,& infra usque ad medietatem uigesimi secundi Aristoteles ex professo agit de inuẽtione prædicatorum quiditatiuorum,atꝗ ideo de inuentione quiditatiuæ definitionis in ordine ad definitum,ut esse posit instrumẽtum, quo satisfaciamus quæstioni quid sit,idꝗ non sine ratione, cum enim in primo Posteriorum tractauerit de inuentione demonstrationis,cuius ope tria quæsita ostenduntur,uidelicet, An sit,Quale sit, & propter quid sit, ei necessarium fuit in secundo libro aggredi proprium tractatum de inuentione definitionis, tamquam de altero instrumento, quod satisfaceret quæstioni Quid sit, cui nulla demonstratio satisfacere potest. quo in negocio pertractando qua methodo progrediatur paulo inferius explicabimus. sed quispiam & optime contra sententiam nostram hunc in modum instare poset,si inter modos imaginabiles ad habendum qđ quid est, quos reiecit philosophus, reponitur etiam definitio, quorsum de eius inuentione ita agit, ut esse posit instrumentum, quo manifestum redatur quid sit? Ad huiusmodi instantiam respondemus,philosophum in hunc sensum reiicere definitionem, ut scilicet ex ea tamquam ex instrumento ratiocinatiuo non concludatur quid sit, in alium uero sensum,ut scilicet definitio sit instrumentum simplici
c Quæstioni Quid sit satisfaciens,eam minime excludere,sed penitus admittere, definitio enim uel quælibet eius pars ad quæstionem Quid sit respondetur. Cum itaque à decimo nono contextu usque ad uigesimum secundum de methodi diuisiuæ utilitate pro definitione inuenienda ex propria sentẽtia satis, superꝗ disputauerit, nactus hãc occasionẽ,de eadem diuisione in altera parte uigesimi secundi contextus, & in toto uigesimo tertio uerba facit pro ut est utilis etiam ad omnium problematum causas inueniendas. Hac facta problematum mentione,cum eorum plurima,quæ ex parte terminorum diuersa sunt, ratione medii eadem esse possint,cogebatur philosophus id aperire,quod determinat in cõtextu uigesimo quarto. Et licet superius uerba fecerit de causis, & causatis, quæ simul sunt,nec non de his,quæ nõ sũt simul,&docuerit quomodo in iis ex necessitate consequentia fiat, nunc in uigesimo quincto contextu de causis, & cau-
d satis, quæ sunt simul, idem repetit, & exquisite magis, quia huiusmodi

ſpeculatio ad problematum cauſas inueniendas multum confert; dubitat igitur an exiſtente cauſato, ex neceſsitate ſit cauſa, ſicuti exiſtente cauſa, ex neceſsitate ſupponitur eſſe cauſatum. Si dicatur, cauſato exiſtente, non eſse eius cauſam illam, quæ pro cauſa ponebatur, tunc huiuſmodi cauſati aliam cauſam ponere neceſſarium erit, quare eiuſdem effectus plures cauſæ dabuntur, quod tamen à propria demõnſtratione alienum eſt: ſi autem dicatur, exiſtente cauſato, cauſam eſse, & è conuerſo, tunc cauſa, & cauſatum inuicem demonſtrari poterunt, quare in demonſtrationibus dabitur circulus; quæ omnia (ut ſui moris eſt) exẽplis illuſtrat, difficultatesq́ propoſitas diligenter diſsoluit. His omnibus explicatis, in contextu uigeſimo ſexto colligit quæ propoſuit in principio primi priorum, ubi ponens intentionem ſuam in illis, & in Poſterioribus, eamq́ in Epilogo repetens, de definitione nihil dicit, non quia omnia, quæ uſque ad locum illum docuerat, ad demonſtrationem pertineant, cum in ſecundo Poſteriorum per ſe de inuentione definitionis, ut eſse poſsit inſtrumentũ ſatisfaciens quæſtioni quid ſit, & per accidens (ut declarauimus) de attinentibus ad demonſtrationem egerit; ſed quoniam definitionem ſecundo loco conſiderauit, non quia ad demonſtrationem uel ut principium, uel ut finis dirigatur, probatum etenim eſt, neutro horum modorum definitionem ut dicit quid ad eam dirigi, uerum quia minorem habet uim, & efficaciam notificandi, quàm demonſtratio. Vel dicere poſſumus, eum in proœmio primi Priorum definitionem non propoſuiſse, at ſolum demonſtrationem, quia eius intentio erat agere de ſyllogiſmo non in ordine ad definitionem, cum ad eam ſyllogiſmus nihil conferat, nec ad ſyllogiſmum definitio, ſed in ordine ad demonſtrationem, quæ principalis, & præcipua eius ſpecies eſt, ex hoc tamen non ſequitur, ut non poſsit in poſterioribus agere etiam de definitione, tamquam de inſtrumento quæſtioni quid ſit ſatisfaciente, cum ad Logicum ſpectet omnia inſtrumenta docere, quibus ſatisfacere poſſimus omnibus quæſitis; & quoniam in Epilogo ea ſolum colligere debemus, quæ in proœmio propoſuimus, hinc factum eſt, ut Ariſtoteles in eo quoque de definitione nullam mentionem fecerit, quamuis in ſecundo poſteriorum libro de inuentione definitionis egerit, ut eſse poſsit inſtrumentum ſimplici quæſtioni quid ſit ſatisfaciens. Abſolutis iis omnibus, quæ pertinent ad modum ſciendi ex præexiſtente aliqua cognitione, in contextu uigeſimo ſeptimo, & ultimo agit de principiorum cognitione, cuius rei ratio eſt, quoniam philoſophus, eo quòd ordine reſolutiuo demonſtrationis materiam in primo Poſteriorum uenari intendebat, definiens ſcire ſimpliciter, dixit, illud eſse rem per cauſam cognoſcere, quamobrem potuiſſet aliquis huiuſmodi definitionem euertere, tacite inſtando, dari etiam aliquod ſcire ſimpliciter ſine cauſa; quam tacitam obiectionem animaduertens, ei ſtatim occurrit, inquiens, ſi igitur & alter eſt ſciẽdi modus, poſterius dicemus; ex quo loco elicitur, Ariſtotelẽ de illo ſciendi modo dubiũ fuiſse, attamen in cõtextu ſexto eiuſdem primi libri aſsertiue poſuit, dari duos ſciendi modos, unũ, qui ex aliqua præexiſtenti cognitione fit, alterum uero ſine ulla præcedenti cognitione, lumine ſcilicet intellectus; quod ex induſtria fecit, cum enim in calce quinti

a contextus supposuerit principia debere esse scita, aliter male probare potuisset ea esse notiora,& magis scita conclusione, absque ullo dubio eius ratio petiisset principium,nisi statim ibi, & in sexto contextu declarasset quomodo scirentur, propterea quod supposuisset quod debebat probare propter Aduersarios euertentes principiorum cognitionem,& propterea omnem scientiam,quæ fit ex antecedenti cognitione. quo in loco hanc materiam haud exquisite tractauit ut occasio postulare uidebatur, tum quia huius rei speculatio, propter diuersas circa illam Philosophorum sententias, longiori,seiunctaq; explicatione indigebat; tum etiam,quia pollicitus fuerat in contextu quinto se esse declaraturum hūc sciendi modum post expeditam tractationem modi sciendi per causam, quamobrē post eorum Epilogum,quæ proposuit in principio primi Priorum,aggredi
b tur quod pollicitus fuerat. Ex quibus omnibus hactenus ab Aristotele peractis clare patet,eum ex accidente in hoc secundo libro de iis,quæ ad demonstrationem pertinent,uerba fecisse,quare(ut opinor) repræhensione dignus minime uidetur esse; hac tamen in re,sicuti in cæteris omnibus,siquis meliorem sententiā excogitauerit,eam non inuitus amplectar.

Aristotelis auctoritate in toto secundo Posteriorum libro opinio Auctoris falsa ostenditur.

CAP. XII.

CVm rationibus aduersus opinionem nostram obiectio facta, reiectaq; fuerit, Aristotelis nunc auctoritate in toto illo secundo libro, singulas partes breuiter expendendo, eiusdem opinionis falsitatem clare, & efficaciter ostende
c re facile erit, si nullus enim in eo libro locus inuenietur, in quo Aristoteles de definitione agat ut de instrumento ducente ad cognitionem Quid sit, hoc uno argumento sententia nostra satis, superq; confutata erit. Dicunt itaque,totum illum secundum librum percurrendo,Aristotelem ab initio eius libri usque ad contextum quadragesimum septimum secundum Auerrois partitionem diligentem tractationem facere de definitione,& de uia ducente ad cognitionem quid sit,considerandum igitur est quæ nam sit illa uia,&de quanam definitione loquatur in ea parte philosophus; certe uel cæcus inspicere posset,totā illam tractationem esse de definitione accidentium, non de substantiæ definitione,uiam autem ducentem ad eiusmodi definitionem non esse aliam, quàm demonstrationem potissimam,hæc enim in definitionem ipsius accidentis demonstrati conuertitur,& ita nos ducit ad cognoscendum quid sit accidens unum quodque; ergo in ea parte Aristoteles non loquitur de definitione substantiæ, immo
d eius considerationem reiicit in contextu quadragesimo secundo,& quadragesimo septimo,dicens,eam esse principium indemonstrabile; quare,si ignoretur, nō potest per demonstrationem indagari, sed aliqua alia uia, quam ipse ibi nō con

ſiderat, quia in ea parte loquitur ſolum de illa definitione, quæ per demonſtratio nem innoteſcit, hæc autem eſt definitio affectionis, ut in ea parte manifeſtisſimum eſt, & ut aſſerit etiam Auerroes in primo commentario ſexti Metaphyſicorum libri; ſimiliter clarum eſt, uiam ducentem ad cognoſcendum quid ſit in accidentibus non eſſe definitionem, ſed demonſtrationem, in fine enim primi ca pitis proponit Ariſtoteles declarandum quomodo per demonſtrationem declaretur quid ſit, & in contextu quadrageſimo ſeptimo colligit ſe declaraſſe quomodo ſit demonſtratio ipſius quid ſit, & quomodo quod quid eſt monſtretur; ſed totam illam partem legentibus manifeſtum eſt, Ariſtotelem nihil aliud doce re, quàm quomodo demonſtratio ducat ad cognitionem ipſius quid ſit, non eſt igitur definitio inſtrumentum ducens ad cognoſcendum quid ſit, ſed demonſtra tio. deinde Ariſtoteles in contextu quadrageſimo octauo incipit tractationem de generibus cauſarum, & docet eorum quodlibet poſſe in demonſtratione medium eſſe; & in ea cauſarum conſideratione uerſatur uſque ad contextum ſexageſimum octauum, quæ tota tractatio abſque ullo dubio de demonſtratione eſt, quia nihil dicitur ibi de definitione. poſtea in contextu ſexageſimo nono incipit declarare uiam uenandi prædicata eſſentialia, quæ prædicantur in eo quod quid eſt, & conſtituunt eam definitionem, quæ eſt principium indemonſtrabile; nec magis eſt definitio ſubſtantiæ, quàm accidentis, prædicata enim, quæ uocantur quiditatiua, non poſſunt demonſtrari de illo, de quo in eo quod quid eſt prædicantur, ſiue ſubſtantias, ſiue accidentia definienda conſideremus, quemadmodũ enim non poſſumus per cauſam demonſtrare hominem eſſe rationalem, uel eſſe animal, uel eſſe corpus; ita neque albedinem eſſe colorem, uel eſſe qualitatem, neque eclypſim eſſe priuationem luminis, neque tonitrum eſſe ſonum; poſſumus quidem per cauſam demonſtrare priuationem luminis de Luna ſubiecta, ſed non de eclypſi; & accenſionem de ſanguine cordis, ſed non de ira, niſi idem de ſe ipſo demonſtremus. Cum igitur ea, quæ prædicantur in quid tam in genere ſubſtantiæ, quàm in generibus accidentium, demonſtrari non poſſint, tamen ignota eſſe contingat, docet ibi Ariſtoteles qua uia debeant inueſtigari, an uia diuiſiua, ut cenſuit Plato, an aliqua alia methodo; quare tota illa tractatio eſt de illa defi nitione, quam Ariſtoteles antea in contextu quadrageſimo ſecundo reiecerat, dicens, eam eſſe principium per ſe notum in ſcientia, uel ſi ignorari contingat, non poſſe per demonſtrationem innoteſcere, ſed per aliquam aliam methodum, quam in ea parte quærit; inſtrumentum igitur idoneum ad uenandum quid ſit non eſt ipſa definitio, quandoquidem hæc ignota proponitur, & quæritur inſtru mentum, quo inueſtigetur; ſed inſtrumentum eſt ipſa uia diuiſiua, uel uia compoſitiua, per quam docet ibi Ariſtoteles quomodo eiuſmodi prædicata uenari debeamus, & horum inueſtigatio eſt inueſtigatio ipſius definitionis ignotæ, quia uenari ipſum quid ſit, & uenari definitionẽ idem ſignificat; quare nihil inanius eſt, nihil ab Ariſtotele alienius, quàm dicere, definitionem eſſe methodum, & inſtru mentum, quo ipſe in ea parte docet uenari prædicata in quid, ut patet tum legentibus uerba Ariſtotelis eo in loco, tum rem ipſam per ſe conſiderãtibus; ergo

a b c d

a in ea quoque parte, quæ à contextu ſexageſimo nono uſque ad octuageſimum quartum protenditur, manifeſtum eſt tum Ariſtotelem non loqui de ſola definitione ſubſtantiæ, tum etiam non conſiderare definitionem ut methodum, & inſtrumentum, quo uenemur ipſum quid ſit. hinc ſequitur, nullum eſſe locum in eo ſecundo libro, in quo Ariſtoteles de definitione ſubſtantiæ ſeorſum loquatur, & nullum etiam eſſe locum, in quo conſideret definitionem ut inſtrumentum ducens ad cognitionem ipſius quid ſit; quia poſt illum contextum octuageſimum quartum uſque ad finem libri nil aliud dicit de definitione, ibi enim ad demonſtrationem reuertitur, & loquitur de ſcientia ipſius Propter quid ſit per cognitionem cauſæ uſque ad contextum centeſimum, in quo epilogum facit, & dicit, ſe de ſyllogiſmo, ac demonſtratione docuiſſe, de definitione autem nihil dicit;
b quia re uera omnia, quæ uſque ad illum locum docuerat, ad demonſtrationem pertinuerant. demum in poſtremo capite eius ſecundi libri loquitur Ariſtoteles de principiis, ac de eorum cognitione, & declarat qua uia ſit in nobis acquiſita primorum principiorum notitia, & uiam dicit eſſe inductionem. falſa igitur eſt, & ab Ariſtotele alieniſsima ſententia eorum, qui dicunt in ſecundo illo libro cõſiderari definitionem ut inſtrumentum cognoſcendi ſubſtantiam, uel cognoſcendi quid ſit generaliter acceptum, cum in eo libro nullus locus appareat, in quo id fiat, hoc enim & ipſius Ariſtotelis teſtimonio, & rationibus ex ipſius tractatione deſumptis apertiſsime demonſtratum eſt.

Soluitur aſsignata inſtantia ex Philoſophi progreſſu in toto ſecundo Poſteriorum libro.

CAP. XIII.

Reſpondentes ad præcedentem inſtantiam, negamus nullum eſſe locum in
c ſecundo poſteriorum libro, in quo Ariſtoteles agat de definitione, ut de inſtrumento ducente ad cognitionem ipſius quid ſit; hoc eſt, de definitione, quæ eſſe poſsit inſtrumentum ſatisfaciens quæſtioni ſimplici ipſius quid ſit, quia id præſtat in contextu decimo ſeptimo ſecundum ueterem lectionem, atq; etiam infra, & licet in hoc ſecundo libro philoſophus loquatur de iis, quæ ad demonſtrationem pertinent, ex accidente id facit, non per ſe, ut diſputatum fuit; ex profeſſo uero, & per ſe intendit agere de definitione, quæ eſſe poſsit inſtrumentum ſatisfaciens quæſtioni ſimplici ipſius quid ſit, cui nulla, ut ſuperius probatum fuit, ſatisfacere poteſt demonſtratio; qua in re non recedit philoſophus à ſe ipſo dum in primo libro de demonſtratione pertractat. idq; ita declaro, omnes communiter ſentiunt, Ariſtotelem in primo libro agere de demonſtratione pro ut eſt inſtrumẽtum ſatisfaciens quæſtioni complexæ, & tamen ibi ſolum agit de inuentione demonſtrationis potiſsimæ quatenus ad eius materiam pertinet, quæ prædictæ
d quæſtioni ſatisfacere poſsit, nam perquirendo conditiones principiorum potiſsi

mæ demonstrationis, perscrutatur ipsammet demonstrationem, quæ ab illis con a
ditionibus, non à forma syllogistica habet ut demonstratio sit. à pari in secundo Posteriorum loco citato agendo philosophus de inuentione prædicatorum quiditatiuorum, nempe generis, & differentiæ, ex quibus efficitur definitio quiditatiua, dicitur etiam agere de inuentione definitionis quiditatiuæ in ordine ad definitum, ut esse posit instrumentum satisfaciens simplici quæstioni quid sit. Quādo igitur dicimus, Aristotelem agere in secūdo Posteriorum de definitione pro ut est instrumentum rei essentiam, & quiditatem notificans, consilium nostrum non est, ut dicamus, (sicuti uidetur uelle instantia) definitionem esse methodum, & instrumentum, quo philosophus eo in loco docet indagari prædicata in quid, quia tunc definitio quæreret se ipsam, quod absurdum est; sed uolumus, Aristotelem, dum agit de inuentione prædicatorum quiditatiuorum, agere de inuentione definitionis quiditatiuæ, & propterea de quiditatiua definitione, ut esse possit methodus, & instrumentum, quo simplici quiditatis quæstioni respōderemus, sicuti in primo libro, dum agit de inuentione demonstrationis, dicimus eum agere de demonstratione, ut eius ope complexis quæstionibus, & simplici quæstioni b
An sit satisfacere possemus. Methodus, qua philosophus quærit definitionem in ordine ad definitum, quod potest esse substantia, & accidens, non est sola diuisio, ut uidebatur uelle Plato, nec sola demonstratio, ut asserebat Hippocrates; non est sola diuisio, quia committeretur petitio principii, nam sumeretur quod deberet probari, ut si quis gratia exempli diuidendo substantiam, diuideret eam in corpoream, & incorpoream, postea acciperet uel corpoream, uel incorporeā substantiam, id sumeret, quod ab eo esset probandum; utilis tamen est diuisio, quia per eam ordo partium definitionis habetur, quænam scilicet primo, & quæ posteriori loco ponenda sit, nullaq; prætermittitur. Non sat est etiā tantummodo demonstratio, quia idem sequeretur absurdum, cum demonstrationis principium ex Aristotele in primo libro de Anima tex: com: undecimo sit quod quid est; quare sumeretur illud, quod esset probandum; sed requiritur aggregatum ex utraque, facta enim diuisione, demonstratur non perfecta demonstratione, c
sed syllogismo faciente aliquam fidem, non esse definibile sub uno diuisionis mēbro, quare probatum redditur, sub altero contineri, quando fuerit facta diuisio (ut decet) per membra contradictorie opposita, & ita deinceps deuenitur usque ad proximum genus, & proximam differentiam; demum connectimus simul omnia diuisionum membra per demonstrationem comprobata, quæ partium cōnexio non est methodus, & hoc pacto inueniuntur partes constituentes cuiuslibet definiti definitionem. fit itaque primum diuisio generis generalissimi illius prædicamenti, in quo definitum continetur, deinde succedit demonstratio, tertio, & ultimo loco ea partium connexio, quæ per demonstrationem comprobātur. ut gratia exempli, si homo definiri debeat, qui est in prædicamento substantiæ, corpus generabile, & corruptibile, quod est ex mente commentatoris genus generalissimum illius prædicamenti, primo diuidendum est per differentias op- d
positas, quæ sunt animatum, & inanimatum, in quarum altera collocatur homo:

a deinde cum probatum fuerit, hominem non esse inanimatum, relinquitur probatum, animatum esse, quæ differentia applicata corpori facit corpus animatum; quod etiam diuiditur per alias differentias oppositas, à quibus omnibus homo non recedit, diuiditur, inquam, per sensitiuum, & insensitiuum, & cum explicatum fuerit hominem non esse insensitiuum, apparet eum sensitiuum esse, quæ differentia iuncta corpori animato efficit corpus animatum sensitiuum, quod animal est, & proximum hominis genus, commune tamen omnibus aliis specialissimis speciebus sub eodem animali contentis: diuiditur postea animal per oppositas differentias in eo potentia latentes, quarum unius definibile est particeps, uidelicet, per rationale, & irrationale; posita probatione, ut homo non sit irrationalis, relinquitur, eum esse rationalem, quæ hominis differentia si esset ultima, non posset amplius aggregatum ex animali, & rationali per alias differentias diuidi, quare ex ea tamquam ex contrahente, & ex genere tamquam ex contrahibili fieret

b quiditatiua hominis definitio; uerum si rationale non esset ultima hominis differentia (latent enim ut plurimum ultimæ rerum differentiæ) tot essent à nobis intra genus accipiendæ, à quibus definibile alienum non sit, quot simul iunctæ ultimam eius differentiam circumscriberent. cum itaque rationale ex mente Platonis ultima hominis differentia non sit, animali appositum hominis definitionem non efficit, sed genus nomine carens, quod licet in quid prædicetur, sicuti definitio, ab ea tamen differt, quia definitio cum definito conuertitur, genus uero nomine carens communius est. dixi genus nomine carens, quia genus in duplici differentia est, nominatum unum, alterum nomine carens; nominatum genus illud est, quod solo nomine profertur, nulla ei addita differentia, ut animal; genus uero nomine carens est aggregatum ex genere nominato, & una, uel pluribus differentiis, ut animal rationale, quod cum latius pateat, quàm homo, rursus diuidendum est per mortale, atque immortale, & cum probatum fuerit, hominem nõ

c esse immortalem, manifestissime apparet, eum mortalitati subiacere; applicetur deinde mortale animali rationali, si aggregatum, quod oritur ex animali rationali, & mortali, cum homine conuertetur, ut uere conuertitur, eius definitio erit, sin minus, erit genus nomine carens, quod est deinceps diuidendum, quousque aggregatum ex genere, & differentiis cum definito conuertatur. Et in hunc sensum uera est philosophi sententia asserentis, ea, quæ ponuntur in definitione, per se communiora esse, quàm definitum, ac de eo in quid prædicari, quando scilicet ultima differentia latet, eiusque loco sumitur aggregatum ex pluribus differentiis ultimæ æquiualentibus. Nec conturbent nos aliquæ definitionis partes, uidelicet, differentiæ, cum dictum sit, ea, quæ in definitione collocantur, in eo quod quid est de definito prædicari; ne forte confiteri cogamur eas in quale quid non prædicari, propterea quòd differentiæ à genere separatæ optime in quale quid prædicantur, at generi coniunctæ, cum uel genus nomine carens, uel de

d finitionem faciant, non possunt prædicari nisi in quid. Ecce quomodo per diuisionem habetur ordo in partibus definitionis, ita ut una, uidelicet, minus communis alteri communiori succedat, nec ulla prætermittitur. hæc methodus inseruit

seruit ad inuestigandam definitionem non solum speciei specialissimæ, sed etiam a
subalternæ, ad cuius iterum definitionem indagandam, aliam ei propriam, non autem speciei specialissimæ ponit methodum, quæ est aggregatum ex methodo diuisiua, & compositiua hunc in modum se habens. primum debet species illa subalterna diuidi in alias species infra se positas, si non in omnes, saltem in aliquas; deinde accipiendæ sunt earum specierum definitiones acquisitæ per priorem methodum, & diligenter considerandæ sunt, an habeat in se aliquid commune; cum cognitum sit, eas in aliquo communi conuenire, & hoc nõ aliunde, nisi methodo compositiua à singularibus progrediendo, sumendum est postmodum genus generalissimum illius prædicamenti, in quo definibile, & eius species collocantur, cui si appositum fuerit illud commune per methodum compositiuam inuentum, efficietur ex huiusmodi aggregato quiditatiua speciei subalternæ definitio. Vt gratia exempli, si quispiam inuestigare uellet definitionem animalis, quod est species subalterna, deberet primo animal in suas species diuidere, nempe, in hominem, equum, & leonem; præterea, essent ab eo ex prima methodo accipiendæ illarum specierum definitiones, ut scilicet homo sit corpus animatum sensitiuum rationale, equus uero corpus animatum sensitiuum irrationale hinnhibile, & leo corpus animatum sensitiuum irrationale rugiens; quibus definitionibus ita acceptis, deberet ulterius uti methodo compositiua, à singularibus (ut diximus) uniuscuiusque speciei pregrodiendo, ex qua quidẽ methodo manifestissime apparet, illud cõmune esse animatũ, & sensitiuum, cum in animato, & sensitiuo conueniant indiuidua omnium animalis specierum; demum cum cognitum fuerit, earum specierum genus generalissimum esse corpus generabile, & corruptibile, ei commune illud, quod inuentum erat in illis definitionibus methodo compositiua, addere deberet, & ita inuenta esset animalis definitio, uidelicet, corpus animatũ sensitiuum. Ad cognoscendũ postea an uniuocum, uel æquiuocum sit quod definiendum proponitur, uidendum est quomodo se habeat commune illud, quod speciei subalternæ definibilis ratio est, si .n. unũ & idẽ fuerit in omnibus suis speciebus, earumq́ indiuiduis, non potest definibile illud non esse uniuocum, cum eius nomen, & ratio de suis inferioribus prædicentur; ut patet de animali respectu suarum specierum, sub illisq́ contentorum singularium, de quibus oĩbus uniuoce prædicatur, quia idem est nomen, & eadem animalis ratio in omnibus suis speciebus, earumq́ indiuiduis. Si uero id, quod unius speciei indiuiduis commune est, idem non fuerit cum eo, quod alterius speciei indiuiduis commune est, definibile secundum nomen de suis inferioribus prædicabitur, non autem secundum eandem illius nominis rationem. Vt gratia exempli, si quispiam scire uellet quænam magnanimi definitio esset, omnes illos, qui hoc nomine digni iudicati essent, quales fuerunt Aiax, Achilles, Alcibiades, Lysander, & Socrates, proponere deberet, inter quos facile compeririet, Aiacem, Achillem, & Alcibiadem appellatos fuisse magnanimos, quia iniuriam ferre non poterant; Lysandrum uero, & Socratem, quoniam in rebus fortunæ tum prosperis, tum aduersis æque se se habebant. Si itaque ratio,

b (margin, beside "thodo accipiendæ")
c (margin, beside "rit in omnibus")
d (margin, beside "riam ferre")

a per quam Aiax, Achilles, & Alcibiades magnanimi dicti fuerunt, non est eadem cum illa, per quam Lysander, & Socrates magnanimi fuerunt uocati, sed penitus diuersa, sequitur, Magnanimum esse nomen multiplex, & propterea uno modo definiri non posse. posita methodo inueniendi partes essentialis definitionis tam accidentis proprii, quàm substantiæ, quod quidem munus ad eam disciplinam pertinet, quæ considerat essentialem rerum definitionem ut est instrumẽtum quæstioni quid sit satisfaciens; aduertendum est, illas definitiones differre, quia ex Aristotelis sententia in secundo posteriorum libro capite nono, & in octauo Diuinorum tex: Com: decimo tertio essentialis proprietatum definitio causam extrinsecam proximam habet, à qua fluit, essentialis uero substantiæ definitio nequaquam.

Auerroì quoque opinionem Auctoris aduersari. C A P. XIIII.

b CAEterum opinionem hanc nostram ab Auerrois quoq; sententia dissentire ostendere nituntur, primo quidem, quoniam multis in locis Auerrois sententia est, primum posteriorum librum ad secundum dirigi, demonstrationemq́ propter definitionem tractari, ut legere est in Commentario undecimo primi Post: & in trigesimo octauo secundi, alisq́ pluribus in locis; atqui demonstratio ad substautiæ definitionem nõ dirigitur, cum ad eam nihil penitus conferat, quãdoquidem ad solam accidentium cognitionem conducit; sed potius è contrario substantiæ definitio demonstrationi inseruit, & ad eam dirigitur tamquam eius principium; itaq; hunc in modum argumentantur. Illa definitio in secundo posteriorum libro tractatur, ad quam dirigitur tractatio de demonstratione in primo, sed ad substantiæ definitionem non dirigitur demõstratio in primo, ergo secundus liber non est de definitione substantiæ, sed est potius de definitione c accidentis, ad hanc enim dirigitur demonstratio, quæ re ipsa ab ea non distinguitur, quia differunt sola terminorum positione; cum igitur neque ad definitionem substantiæ dirigatur demonstratio, neque ad definitionem late acceptam, quæ & definitionem substantiæ, & definitionem accidentis complectitur, sed ad solam accidentis definitionem, sequitur, Auerroem non existimasse, tractari in eo secundo libro de definitione, ut de instrumento cognoscendæ substantiæ, neque ut de instrumento cognoscendi quid sit generaliter sumptum. Secundo, in sua præfatione in primum librum Posteriorum Auerroes rationem reddens cur in uno, & eodem libro de demonstratione, ac de definitione Aristoteles tractauerit, inquit, non esse inter eas magnum discrimen, ut diuersos, ac separatos tractatus postulauerint; sed hoc Auerrois dictum de definitione substantiæ minime uerum est, hæc enim est diuersa penitus à demonstratione, ergo haec non est illa definitio, de qua putat Auerroes Aristotelem agere in secundo d Posteriorum, neq; etiam putat tractari in eo libro alterum instrumentum

re distinctum à demonstratione, sed potius idem re, differens autem solo terminorum situ. Tertio & ultimo, alia sunt uerba in eo prooemio Auerrois expendenda, quando dicit, postquam Aristoteles in Prioribus analyticis egit de forma demonstrationis, uult in Posterioribus agere de eius materia, materia autem demonstrationis sunt propositiones uerae, quae quidem & in primo, & in secundo libro Posteriorum analyticorum considerantur, alia tamen, & alia ratione, in primo quidem quatenus ducunt hominem ad perfectam uerificationem, in secundo autem quatenus sunt definitiones, & ducunt hominem ad perfectam formationem; est autem uerificatio apud Auerroem cognitio quaesitorum complexorum, quae per demonstrationem, quatenus demonstratio est, innotescunt; formatio uero est conceptio naturae, siue quiditatis, quae per definitionem significatur; sententia igitur Auerrois est, propositiones ueras, idest, necessarias tam in primo, quàm in secundo posteriorum libro tractari, sed in primo quatenus ducunt ad cognitionem ipsius propter quid sit, in secundo autem quatenus tradunt etiam cognitionem ipsius quid sit. dicant ergo Auerroistae, an Auerroes intelligat propositiones necessarias tractari in eo secundo libro pro ut sunt definitiones subiecti, an accidentis; si subiecti, aduersantur Auerroi, qui in primo libro Posteriorum commentario undecimo, & in quaestione sua de medio demonstrationis confutat eorum sententiam, qui dicunt, medium esse definitionem subiecti, & probat esse definitionem semper, & ex necessitate maioris extremi, non minoris, nisi raro, & ex accidenti; atqui dum dicimus propositiones demonstrationis, dicimus terminum medium, ergo quaerere an propositiones sint definitio maioris, an minoris extremi, nil aliud est, quam quaerere, an medium sit definitio huius, uel illius; quando igitur Auerroes dicit, propositiones, quae materia demonstrationis sunt, considerari in secundo libro Posteriorum pro ut sunt definitiones, & ducunt ad cognoscendum ipsum quid sit, intelligit accidentis, non subiecti definitionem, ergo non est uerum ut in eo secundo libro ex Auerrois sententia agatur de definitione tamquam de instrumēto substantiae cognoscēdae, neque generaliter cognoscendi quid sit, quia definitionem substantiae minime respexit Auerroes in declarando Aristotelis scopo in illo secūdo libro, sed solum definitionem accidentis; non est etiam uerum, ut Auerroes putet, definitionem ibi tractari tamquam instrumentum re distinctum à demonstratione, cum enim dicat easdem propositiones demonstrationis ducere ad cognoscendum, & propter quid sit, & quid sit, dicit unum instrumentum esse, quod praestat utramq; cognitionem, & uocatur tum demonstratio, tum definitio, ut ipse quoque Aristoteles asserit in tex: Com: quadragesimo quinto secundi Posteriorum.

a *Respondetur obiectioni fundatæ super nonnullis Auerrois auctoritatibus.*

CAP. XV.

AVerrois auctoritates opinioni nostræ fauere potius, quàm aduersari existimamus, & primo primam in commentariis undecimo primi, trigesimo octauo secundi Posteriorum, aliisq; pluribus in locis, ea, scilicet, quæ in primo dicta sunt, esse dicta propter secundum. pro exquisita huius Auerrois sententiæ intelligentia aduertendum est, compositum, quando resoluitur, non posse resolui nisi in ea, ex quibus componitur; cum itaque potissima demonstratio ex conclusione, & principio componatur, in ea resoluitur; sed conclusio est potentia, non actu
b essentialis definitio passionis constans ex eius proximo genere, & proxima differentia; principium uero actu est quiditatiua subiecti definitio, eiusq; demonstrandarum passionum definitio causalis, cum à quiditatiua subiecti definitione eius accidentia propria habeant ut sint; non est igitur resoluenda demonstratio in totam passionis definitionem, quæ constat ex causali, & essentiali definitione, quia huiusmodi definitio non est pars potissimæ demonstrationis, sed ipsamet demonstratio, at idem in se ipsum non resoluitur. Hoc pósito, hunc in modum argumentemur; illa definitio ex sententia commentatoris tractatur in secundo posteriorum libro, in quam resoluitur demonstratio, de qua agitur in primo, uerum demonstratio, de qua agitur in primo, resoluitur in subiecti, eiusq; propriorum accidentium essentialē definitionē, cū ex illis (ut dictum est) componatur, ergo in secundo Posteriorū libro ex mente commētatoris tractatur essentialis utriusq; definitio, subiecti scilicet, & eius passionis demonstrandæ. Ex qua ratiocinatione clare patet, cum ueritate non conuenire minorem propositionem
c Aduersariorum rationis, optimeq; asseruisse Auerroem, ut ea, quæ dicta sunt in primo, sint dicta propter secundum. Altera Commentatoris auctoritas opinioni nostræ mirifice quadrat, quia nulla definitio est re distincta à demonstratione, de tota propriorum accidentium definitione, clarum est, eam à demonstratione re non distingui, cum in utraq; iidem termini reperiantur uariati solum secū dum situm; manifestum etiam est de subiecti definitione, quæ licet à demonstratione differat ratione formæ, ac finis, ratione materiæ ab ea non differt, cum medium, quod materia demonstrationis est, in potissima demonstratione sit semper subiecti definitio, cui Dicto sententia Auerrois non repugnat, quando ait, raro mediū in demōstratione esse subiecti definitionem, quia ex eius sententia raræ etiā sunt potissimæ demonstrationes; quasi innuere uelit non semper, sed raro in demonstratione esse medium subiecti definitionem; quia non in omnibus de
d monstrationibus medium est subiecti definitio, sed solum in illis, quæ raro inueniuntur propter exquisitam earum perfectionem, ut sunt potissimæ demonstrationes; recte igitur loco citato dixit Auerroes non esse scilicet inter

demonstrationem, de qua agitur in primo,& definitionem,de qua tractatur in se a
cundo, magnum discrimen. Et quando diximus alias, definitionem, de qua agitur in secundo Posteriorum libro, esse instrumentum à demonstratione, de qua agitur in primo,re distinctum, intelleximus,eam esse instrumentum à demonstratione uere distinctum, quia licet materialiter sint idem, formaliter tamen differunt, quare duo, non unum, instrumenta sunt diuersis quæsitis satisfacientia. Vltima etiam Commentatoris auctoritas non secus,ac secunda, nobis uidetur fauere; quando uero Aduersarii petunt, cuiusnam in secundo Posteriorum libro demonstrationis principia significent quid sit, uel subiecti, uel passionis; respondemus, ea significare quid sit subiecti, quoniam in potissima demonstratione medium semper est quiditatiua subiecti definitio,licet consideretur ut propter quid passionis, cuius significant etiam quid sit principia illa non proprie,cum eius neque genus, neque proxima differentia sint, sed quia sunt causa eius quiditatis,unde motus Auerroes dixit, medium esse quiditatem extra quiditatem. Ad obiectionem uero respondentes, negamus, Auerroi opinionem nostram aduersari,licet enim in primo Posteriorum commentario undecimo,& in propria quæstione de medio demonstrationis eorum sententiam confutet, qui dicebant,medium b
esse subiecti definitionem, id facit Auerroes, quia illi uolebant, medium in potissima demonstratione esse per se subiecti definitionem,& per se causam utriusque extremi, at nos cum eo asserimus,medium in potissima demonstratione esse per accidens quiditatiuam subiecti definitionem, quia non consideratur ut eius quiditatiua definitio, sed solum ut causalis definitio passionis demonstrandæ; optime igitur dixit Auerroes, easdem propositiones, quæ in primo libro designant propter quid,in secundo designare quid sit commune ad substantiam, & accidens, proprie quidem ratione substantiæ, ratione uero passionis demonstrandæ non adeo proprie, sed quatenus (ut diximus) sunt causa eius quiditatis. allata iam responsione ad omnes Auerrois auctoritates, reliquum esset, ut ostenderemus, eas ad totam passionis definitionem non tendere, cum in secundo Posteriorum nō agat ex professo Aristoteles de illa definitione, quæ ex demonstratione elicitur, c
ut est tota passionis definitio, uerum quia de hoc supra contra Recentiorum opinionem disputauimus, ab huiusmodi negocio supersedentes, ad locum illum Lectorem dimittimus.

Soluuntur rationes, & auctoritates euertuntur, in quibus opinio Auctoris fundata fuit.

CAP. XVI.

CVM in plerisque superioribus capitibus & Aristoteli,& Auerroi opinionem nostram repugnare probauerint Aduersarij, nunc, ut eius falsitas luce clarior appareat, rationibus, & auctoritatibus, quibus erat innixa, hunc in mo- d
dum respondent, & primo primæ rationi, concedendo, definitionem, ut di-

a cit quid, à Logico considerari, non tamen ut instrumentum, sed ut finem instrumentorum, & methodorum, demonstratiuæ scilicet, & resolutiuæ. Secundæ uero rationi, concedendo id, quod nos asseruimus, duo scilicet esse in speciebus cognoscenda, substantiam, & accidens proprium; sed quando postea inferimus, ergo de definitione in Logica agendum esse, ut de instrumento substantiæ cognoscendæ, hanc consequentiam negant; nam debet quidem Logicus agere de instrumento, quo substantia ignota notificatur, sed illud non est definitio, at methodus resolutiua. Ad Aristotelis auctoritatem in septimo Diuinorum tex: com: 42. eodem modo respondent, quo respondent ad primam rationem; Verbis autem Auerrois in principio commenti super eo contextu duos sensus tribuunt, primum quidem, Auerroem nominare definitionem in numero plurali, cum dicat, (de definitionibus,) deinde instrumẽtum in numero singulari, quare non uidetur appellare definitionem instrumentum, sed solum dicere, definitiones considerari à
b Logico quatenus datur instrumentum aliquod Logicum, quod ducit intellectũ ad cognoscendas quidditates rerum, idest, earum definitiones, quasi dicat, definitionem à Logico considerari quatenus per instrumentum Logicum innotescit; instrumentũ autem est demonstratio. Secundũ uero sensum uerbis illis tribuunt, concedendo, Auerroem uocare definitionem instrumentum Logicum, non tamen ut sit re distinctum à demonstratione, sed quatenus est idem, quod demonstratio, nam demonstratio est definitio, & definitio est demonstratio, ideo definitio qua ratione potest uocari demonstratio, eadem ratione potest dici instrumentum, quo ducimur ad cognoscendum ipsum quid sit, demonstratio enim ducit ad cognoscendum ipsum quid sit. hanc esse Auerrois mentem patet considerantibus alia eius uerba in eodem loco, non potest enim dicere definitionem extra demonstrationem sumptam, & ab ea distinctam, instrumentum esse, quod declaret rei quiditatem, quia statim cõsiderationem hanc primo philosopho attribuit,
c dicens, (philosophus autẽ quatenus significat quiditates rerum,) definitio enim respectu naturæ, & quiditatis rerum non est nisi eius significatris, sed ad ipsius rerum quiditatis ignotæ cognitionem nos ducere non potest; hac igitur ratione asserit Auerroes eam à primo philosopho considerari, nõ à Logico, quare ut instrumentum significandi quiditatẽ est considerationis metaphysicæ; quo fit ut eadem ratione à Logico considerari non possit, sed aliqua alia.

Examinatur Aduersariorum responsio ad Commentatoris auctoritatem in septimo Diuinorum Commento quadragesimo secundo.

CAP. XVII.

d QVantum utrique nostræ rationi Aduersariorum solutiones satisfaciant, quãtiq; sit ponderis eorundem responsio ad prædictam Aristotelis auctoritatem hoc in loco necessarium esset examinare; quoniam uero hæc omnia tamquã

falsa in capite octauo à nobis reiecta fuerunt, ad illud caput Lectorem remitti- a
mus. Quod uero attinet ad Commentatoris auctoritatem, nec prima, nec secunda responsio arridet, non prima, quia licet Auerroes nominet definitiones in numero plurali,& instrumentum in numero singulari, propterea non tollitur quin ex eius sententia definitio sit instrumentum, sicuti non sequitur quin definitio significet rerum naturas, quamuis definitiones nominet in numero plurali; & significat, in numero singulari, quando ait; Philosophus autem de definitionibus tractat pro ut significat naturas rerum. uult igitur dicere Commentator, Logicum considerare de definitionibus, pro ut definitio instrumentum est, quod inducit intellectum ad intelligendum quiditates rerum, philosophum autem considerare de definitionibus, pro ut definitio significat naturas rerum. Insuper, si definitio à Logico consideraretur quatenus per instrumentum Logicum, idest, per demonstrationem nota sit, quæ Logicum instrumentum est, frustra philosophus ageret in secundo libro de inuentione definitionis. Præterea, dato hoc, ut definitio per demonstrationem nota fiat, quomodo per illam nota fit? Certe uel quia per demonstrationem concluditur, uel quia ex ea elicitur, non primo, ut pa b
tet per ea, quæ dicit Aristoteles in secundo Posteriorum à secundo contextu usque ad decimum, ergo secundo modo, sed hoc pacto de definitione tractatur in primo libro dum agitur de inuentione demonstrationis, quia eatenus definitio hoc modo consideratur, quatenus demonstrationis, de qua agitur in primo, perfectionem indicat; nam si de definitione hoc modo considerata tractaret philosophus in secundo libro, rationi consonum uidebatur, ut agens ibi de inuentione definitionis, ageret de eius definitionis inuentione, quæ ex demonstratione elicitur, sed consequens est falsum, ergo & antecedens; falsitas consequentis clara est iis, qui legerint Aristotelem in secundo Posteriorum à contextu decimo septimo usque ad uigesimum secundum, & ab Aduersariis etiam conceditur asserentibus, definitionem, de cuius inuentione agitur in secundo Posteriorum, esse principium indemonstrabile ipsius demonstrationis, non est igitur definitio, quæ ex demonstratione elicitur, quia huiusmodi definitio non est demonstratio c
nis principium indemonstrabile, sed ipsamet demonstratio solo situ differens. Neq; etiam satisfacit secunda responsio, quia licet eadem oratio ex sententia philosophi in secundo Posteriorum contextu decimo possit fieri demonstratio, & definitio, non sequitur idcirco, demonstrationem esse definitionem, & definitionem esse demonstrationem, immo oppositum, ut testatum reliquit philosophus in eodem libro contextu secundo circa finem; nisi dicatur, demonstrationem, ac definitionē esse idem materialiter, sed hoc modo non considerantur ab Aristotele, quoniam hac ratione etiam Clauis, & serra, nec non scamnum, & nauis sunt idem, at solum ut formaliter differunt, & formaliter sunt instrumenta contradistincta, quæ non uersantur circa unum, & idem obiectum, sed circa diuersa, ut patet in secundo Posteriorum loco citato. Cum itaque definitio formaliter demonstratio esse non possit, & demonstratio nullo pacto conducat ad cognoscen d
dum ipsum quid sit, ut manifestum est per ea, quæ in superioribus dicta sunt; nō

a congruenter dicitur, definitionem, qua ratione potest uocari demonstratio, eadem ratione posse dici instrumentū, quo ducimur ad cognoscendum ipsum quid sit, cum demonstratio (ut dictum est) ad cognoscendum ipsum quid sit non conducat. Non obscurum est igitur, definitionem extra demonstrationem sumptam ab eaq; formaliter distinctam instrumentum esse, quod rei quiditatem notā facit; hac enim solum de causa philosophus agit in secundo Posteriorum de eius inuētione, ut scilicet esse posit instrumentum satisfaciens quæstioni ipsius Quid sit, quod notum facit dum illud significat; qui modus aliquid considerandi ut instrumentum notificandi tam sine ratione, quàm cum ratione Logico, non Metaphysico proprius est, modus enim considerandi Metaphysici est quatenus ens, seu sub ratione entis. quando igitur Auerroes dicit, definitionem considerari à Metaphysico quatenus significat rerum quiditates, non intelligit, istum modum cōsiderandi definitionem esse modum considerandi Metaphysicæ, aliter non posset Metaphysica non dici instrumentaria, licet definitio non ratiocinetur; sed intelligit, ut, quemadmodum demonstratio à Logico considerata quatenus est instrumentum, quod constat ex principiis immediatis, & secundum quod ipsum, largiens inhærentiam propriæ passionis in subiecto, potest etiam à philosopho considerari; ut eius ope aliquid aliud addiscat, uidelicet, existente demonstratione instrumento ex principiis immediatis, & secundum quod ipsum, non licere transcendere de genere in genus demonstratiue; ita definitio à Logico considerata prout est instrumentum quiditatis rerum significatrix, à Metaphysico quoque sic considerata usurpetur, ut eius auxilio rerum quiditatis, & naturæ, quam per se considerat Metaphysicus, conditiones, & proprietates nonnullas inuestigare possit; quare Logica cum Metaphysica consideratione non confunditur.

b

De librorum inscriptione Ioannis grammatici opinio.

CAP. XVIII.

c ABsoluta prima huius secundi libri parte, reliquum est ut breuiter declaremus cur secundus liber resolutorius appelletur, quia de primo non tam uehementer Aristotelis expositores altercantur. Ioannes grammaticus duas causas uidetur afferre, quarum altera est, quòd cum demonstratio dicatur resolutio, pars autem demonstrationis sit præsens tractatus ueluti docens de medio demonstrationis, hinc fit, ut etiam secundus Posteriorum liber appelletur resolutorius, sicuti & primus, qui dicitur resolutorius, quoniam demonstratiua methodus, de qua in eo agitur, resolutionis est species, ex resolutione enim nobis principia demonstrationis inueniuntur à prioribus nobis ascendentibus ad priora natura, uidelicet, ad causas; primo enim cognoscimus sensu Lunam deficere, Intellectus autem postea ratiocinando causam inuenit, propterea quòd dicit, Luna

d deficit, sed quod deficit obstruitur, ergo Luna obstruitur. Hæc est resolutio ex

causatis

causatis in causas progrediens, deinde demonstratio ex causis in causata de- a
scendit hunc in modum, Luna obstruitur; sed quod obstruitur deficit, ergo
Luna deficit. Idem de terræ motu dicere possumus, ut terra mouetur, sed quod
mouetur siue cōcutitur, spiritū habet in cauernis inclusū, ergo in terra spiritus in
cluditur. Hæc est resolutio, deinde fit demonstratio hoc pacto, in terra spiritus
includitur, sed spiritu incluso, fit terræ motus, ergo in terra fit terræ motus. Alte
ra causa est, quia in demonstratione principalitatem sibi uendicat terminus me-
dius, nā medio nō existēte, nec erit quidē demōstratio, ut patet in calce uigesimi
quinti cōtextus primi posteriorum libri, sed medius terminus est definitio, quæ
resolutione inuenitur, resolutorius igitur secundus Posteriorum liber appella-
ri debet non secus, ac primus secūndum Ioannis grammatici sententiam.

Supra notatæ opinionis explicatio. b

Cap. XIX.

Hæc Philoponi sententia quodam modo uera est, quodā autem modo falsa,
ex ea parte uera est, dū inquit, demonstrationem esse resolutionē, sed aliqua
indiget explicatione, nā clarū est demōstrationē Quia esse resolutionē, at mediū,
de quo ex eius sententia Aristoteles agit in secundo libro, non est mediū demō
strationis quia, sed eius, quā in primo libro philosophus principaliter tractat,
hæc autē ex cōmuni omniū opinione nō est demonstratio Quia, sed propter qd,
quæ resolutio esse non uidetur, quoniā resolutio ex Themistii sentētia in primo
posteriorū capite uigesimo sexto, & Auerrois in Prologo primi posteriorū, nec
non in cōmēto nonagesimo tertio eiusdem primi libri dicitur contraria compo
sitioni naturæ, demonstratio uero propter quid, seu à causa proxima tantum ab-
est, ut sit contraria compositioni naturæ, ut etiam naturæ compositioni sit simi
lis. recte igitur Philoponus non uidetur loqui, dum ait, hac de causa secundum
posteriorum librum resolutorium inscribi, quoniam in eo agitur de medio de- c
monstrationis, quæ resolutio est. quomodo autem pro Philopono demōstratio
propter quid sit resolutio, aduertendum est, huiusmodi demonstrationem consi-
derari posse uel quo ad nostram intentionem, uel quo ad progressum, quem in
ea facimus; si respiciamus intentionem nostram, quam (nisi fallor) Philoponus
respexit, absq; ullo dubio resolutio nuncupari debet, quia per eam nihil aliud ha
bemus, nisi effectum, seu conclusionem esse propter causam; si uero respiciamus
progressum, quem in ea facimus, sicuti fortasse eum Themistius, & Auerroes cō
siderarunt, non potest non appellari Compositio, cū in ea à principiis, & à causa
ad effectū, & cōclusionem progrediamur. à pari de demonstratione quia dicēdū
est, sed contrario modo, si enim respiciamus intentionem nostram, dicitur com-
positio; quoniam hac solum de causa in ea ab effectu progredimur, ut retro- b
cedendo à causa per effectum inuenta, habeamus eiusdem effectus uerum d
propter quid, si autem respiciamus progressum, quem facimus, appellari de-

a bet resolutio, cum progrediamur ab effectu ad causam, qui progressus resolutio est. Ex qua ratiocinatione perspicue patet, eos in errore uersari, qui absolute dicunt, demonstrationem propter quid non esse resolutionem, & demonstrationem quia non esse compositionem, sed solum methodum resolutiuam Ex ea uero parte falsa est, dum asserit, de medio demonstrationis Aristotelem agere in secundo Posteriorum, ut in prima huius libri parte satis, superq; probatũ fuit.

Opinio Auctoris.

C A P. X X.

CVM horum librorũ inscriptio in duas partes distribuatur, inscribuntur enim posteriores resolutorii, utramq; in iuniorum gratiam explicare operæ precium esse duximus, & primo primam, cur scilicet dicantur posteriores. pro
b cuius rei notitia aduertendum primum est, demonstrationem constare ex eo, quod habet proportionem cum materia, nempe ex principiis necessariis, & ex eo, quod cum forma proportionem habet, nimirum ex syllogismo, qui demonstratione communior est, ut testatur philosophus in principio quarti capitis primi libri priorum, ualet enim dicere, est demonstratio, ergo syllogismus, non autem è conuerso; cuius rei ratio est, quia demonstratio solum circa materiam necessariam uersatur, syllogismus uero ad unamquamque materiã applicari potest. & quamuis in libris priorum communiter accipiatur, consideratur tamen principali intentione in ordine ad demonstrationem, ut uelle uidetur philosophus in principio primi libri, & in principio quarti capitis eiusdem libri, nec non in contextu uigesimo sexto secundi libri posteriorum, quibus in locis de syllogismo, ac demonstratione solum facta fuit mentio ab Aristotele; cuius rei satis probabile argumentum sumi etiam posset ex modo procedendi, quo phi-
c losophus uti solet, nam in oĩbus aliis ferè libris Logicæ disciplinæ syllogismi definitionem repetit, in posterioribus uero minime, quasi uelit innuere, se ibi, uidelicet in prioribus, syllogismum considerare in ordine ad demonstrationem. præterea aduertendum est, in libris posteriorum demõstrationem ab Aristotele primo loco considerari, secundo autẽ definitionẽ, quia demõstratio efficacius aliquid notũ facit, quàm definitio, licet definitio circa nobilius obiectum uersetur; hinc factum est, ut neque in proœmio priorum, neque in epilogo posteriorum de definitione mentionem fecerit, quamuis de ea, ut de instrumento satisfaciente quæstioni ipsius quid sit, tractet philosophus in secundo posteriorum. His positis, dicimus, illos iure optimo priores, hos uero posteriores inscriptos fuisse, cũ in libris priorum agatur de parte demonstrationis communiore, in posteriori-
d bus autem de parte minus communi. Declarata prima inscriptionis parte, ad secundæ explicationem accedimus, dicentes, nullam de primo libro inter Aristotelis interpretes controuersiam esse, omnes enim arbitrantur, cum

resolutorium inscribi, quia ibi philosophus ordine resolutiuo potissimæ demonstrationis principia perscrutatur; de secundo autem maxime dubium est, quem non secus, ac primum, resolutorium inscribendum esse opinamur, uel quia methodus compositiua, qua quidem methodo in eo libro prædicata quiditatiua, & propterea quiditatiua definitio in ordine ad definitum ab Aristotele quæritur, quadam ratione est resolutio, quatenus scilicet in ea à magis composito ad minus compositũ, ut à specie ad genus progredimur; uel quia in eo agitur de definitione, quæ resolutio dicitur, omnis .n. definitio resoluit definibile in sua principia, ut ex quincto contextu primi libri Physicorũ maxime notũ, ac manifestum est.

Laus iterum, Honor, & Gloria Deo Optimo Maximo, Qui Trinus, & vnus est.

F I N I S.





BERNARDINI PETRELLAE LOGICARVM DISPVTATIONVM

Liber Tertius

DE EA DEMONSTRATIONIS SPECIE, QVAM POtisſimam nuncupant.

PRÆFATIO.

b



Vperiore libro ſatis (niſi fallor) de iis rebus diſputauimus, de quibus in poſteriora analytica nos præfari oportebat; nunc inſtitutum noſtrum aggredientes, dicamus, eorum, quæ de qualibet ſpecie ſciri poſſunt, duo genera eſſe, ſubſtantiam ſcilicet, ſeu eſſentiam, & eius proprietates. quæ omnia ex ſententia philoſophi in ſecundo Poſteriorum ſub initium non uno, ſed duobus inſtrumentis cognoſcuntur, nam definitione ſubſtantia, demonſtratione uero notæ fiunt proprietates, quæ fluunt à forma, non autem accidentia communia, quæ ortum ducunt à complexione. ut igitur Iuuenes, in quorum gratiam, & utilitatem ſcribimus, maxima cum facilitate duo illa genera eorum, quæ de qualibet ſpecie ſciuntur, percipere poſſint, de demonſtratione primum, poſtea de defini-
c tione compendioſam eis traditionem facere decreuimus, ne latum quidem (ut aiunt) unguem à philoſophi ſententia in poſterioribus analyticis recedentes. Quatenus itaque ad demonſtrationem pertinet, dicimus, cum ea prædicetur de potisſima, propter quid tantum, & quia, intentionem noſtram in præſenti diſputatione non eſſe, de demonſtratione quia, & propter quid tantum agere, ſed ſolũ de potisſima, quo ad eius materiã, quæ nihil aliud eſt, niſi principia illis coarctata cõditionibus, de quibus primo poſteriorũ libro philoſophus uerba facit.

Ordine reſolutiuo, ex notione ſcilicet ipſius ſcire ſimpliciter principiorum potisſimæ demonſtrationis conditiones inueſtigantur.

CAP. I.

CVM demonſtratio ſit cauſa inſtrumentaria ſcientiæ, inſtrumentiq́ huius cõ-
d ditiones à fine ortum ducant, ut uidere eſt de acumine, & duritie enſis, quæ

ab eo emanant quatenus est factus ad incidendum, conditiones principiis potissimæ demonstrationis requisitas cognoscere non possumus, nisi prius exquisite per definitionem fuerit nobis notus eiusdem demonstrationis finis, uidelicet, scire simpliciter; nam sicuti datur demonstratio, quæ per prius de potissima, per posterius uero de propter quid tãtum, & ultimo de quia dicitur, ita datur scire prout demonstrationis effectus est, quod per prius dicitur de ipso scire potissimæ demonstrationis, per posterius de ipso scire demonstrationis propter quid tantum, postremo de ipso scire demonstrationis quia. & sicuti per excellentiam inter species demonstrationis perfectissima uocatur demonstratio potissima, ita eius effectus inter alios reliquarum demonstrationum dicitur effectus potissimus, idest, scire simpliciter. Ordine itaque resolutiuo progredientes, incipiemus à definitione ipsius scire simpliciter, quæ hunc in modum se habet. (Scire autem arbitramur unumquodque simpliciter, & non sophistico modo, qui est secundum accidens, cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, & non contingere hoc aliter se habere) in hac definitiua propositione subiectum hæc sunt, uidelicet, (scire autem arbitramur unumquodq; simpliciter, & nõ sophistico modo, qui est secundum accidens;) prædicatum uero alia omnia, scilicet, (cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, & non contingere hoc aliter se habere.) pro intelligentia eorum, quæ se habent ex parte subiecti, aduertendum est, in modo sciendi sophistam omni conatu philosophi personam simulare, profitetur enim rem per causam cognoscere non secus, ac philosophus, re tamen ipsa ei dissimilis est, nam philosophus, qui est uere sciens, cognoscit rem per causam essentialem, à qua res habet ut sit; sophista uero, qui cum minime sit, uideri tamen uult sciens, cognoscit rem per causam accidentalem, propter quam res ipsa non est, ab accidentibus enim, in quibus sophista sese inuoluit, substantiæ non habent ut sint. Si itaque modus sciẽdi sophisticus, qui propter adductam rationem secundum accidens est, à modo sciendi simpliciter contradistinguitur, necessario sequitur, cum scire simpliciter ab omnibus accipiatur pro ipso scire proprie, & perfecte, ut scire sophistico modo, qui est secundum accidens, debeat intelligi pro ipso scire improprie, & imperfecte. pro notitia uero eorum, quæ sunt ex parte prædicati, notandum esse duximus, quatuor esse causarum genera, materiale scilicet, formale, efficiens, & finale; præterea, non ab omnibus rem habere essentiam, sed solum à causa formali, & ab efficiente coniuncta semper sub qualibet temporis differentia cum suo causato, quæ sapit naturam formæ, ut inferius apparebit; ultimo, (ut monet Auerroes in secundo Posteriorum com: 40.) causarum alias esse ueras, sicuti sunt terræ interpositio respectu lunæ defectus, nec non animal rationale respectu risibilitatis, alias uero existimatas, nempe uultum Lunæ lucidum sursum euersum esse causam defectus eiusdem Lunæ, credebant enim nonnulli, Lunam habere partem anteriorem lucidam, & posteriorem opacam, ex quo inducebantur etiam ad credendum tunc Lunam deficere, quando eius pars lucida sursum uertitur. His positis, dicimus, definitionem à philosopho traditam ita esse intelligendam

a (in communi scilicet philosophorum consuetudine positum esse, ut tunc scire opinemur unamquamque conclusionem simpliciter, idest, proprie, ac perfecte, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, hoc est, non improprie, & imperfecte, quando existimamus cognoscere non omnem causam, sed formalem tantum, seu efficientem semper effectui coniunctam, à qua ille emanat in ipso esse, & conseruari, ita ut tali causa posita, ponatur, & remota, remoueatur effectus, nec non ut illa causa sit impermutabilis ad differentiam causæ existimatæ, quæ est permutabilis, quemadmodum causa accidentalis.) Scire simpliciter hūc in modum se habere patet peritorum, & imperitorum testimonio, nam imperiti existimant scire simpliciter ita se habere, uidelicet, per causam, propter quam res est, quod illius est causa, & non contingere hoc aliter se habere; periti uero non solū id existimant, sed etiam pro certo habent. Si itaque est scire ut posuimus, idest, posita ueritate traditæ definitionis ipsius scire simpliciter, necesse est, ut demonstratio simpliciter, uel potissima sit ex ueris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis, idest, potissimæ demonstrationis principia debent
b esse ex necessitate uera, prima, immediata, notiora, priora, & causæ conclusionis. dixi ex necessitate, quia finis necessitatem inducit iis omnibus, quæ sunt ad finē, nam ex ultima particula posita in definitione scire simpliciter, quæ est, (& non contingere hoc aliter se habere,) propositiones potissimæ demonstrationis habent ut sint ueræ, si.n. dicat aliquis, propositiones illas posse interdum esse falsas, ergo scire simpliciter non est rem cognoscere per causam, quæ non contingat aliter se habere. Ex altera uero particula, (propter quam res est,) habent propositiones ut sint primæ, & immediatæ, quoniam omnis causa formalis, uel quæ sapit naturam formæ, est causa immediata, & prima rei, quæ à tali causa in ipso ēē, & conseruari fluit, ex quo dicitur, & optime, propositiones potissimæ demōstrationis debere esse causas ut res sit, & nostræ cognitionis, cum habeant in se formā, uel quod gerit uicem formæ, quæ est principiū ut res sit, & cognoscatur à nobis. demū ex illa particula, quæ est, (quod illius causa est,) habēt ut sint notiores, priores,
c & causæ conclusionis. Ecce quomodo ex fine noto manifestæ redduntur conditiones instrumenti ad eum finem comparati, quare propositiones cū omnibus his conditionibus erunt principia propria eius, quod demonstratur, quia sine his conditionibus syllogismus esse potest, demonstratio autem nequaquam, alioquin scientiam non pareret, quoniam eatenus scientiam parit, quatenus huiusmodi conditiones habet.

Ex aliorum sententia nonnullæ obiectiones ponuntur contra ea, quæ scripta sunt in explicanda ipsius scire simpliciter definitione.

CAP. II.

d

SED Nonnulli hac in parte obiiciunt, nos Aristotelis methodum peruertere, maximaque repræhensione dignos esse, dum quærere, ac declarare uolumus,

quodnam causæ genus in posita definitione philosophus significauerit; propterea quod in explicando medium esse causam, Aristoteles hunc ordinem seruauit, primo quidem loco sub initium primi libri Posteriorum dixit, scire esse causam rei cognoscere, propter quam res est; in qua definitione nil aliud nomine causæ intellexit, quàm proximam, & æquatam rei causam, quæ sola cum articulo, qui apud Græcos emphasim habet, τὸ αἴτιον appellari meretur, illamq; in singulari numero protulit, quia hæc unius rei una est, non plures, ut ipse postea ostendit in calce secundi libri. causam uero remotam utiq; αἴτιον, idest, causam esse Aristoteles fatetur in tex: com: nonagesimo nono eiusdem libri, sed negat eam esse τὸ αἴτιον. de hac igitur causa ita per excellentiam uocata loquitur philosophus in toto primo Posteriorum libro, nec non in secundo usq; ad contextum quadragesimum septimum secundum Auerrois partitionem. Sed quodnam genus causæ illud sit, cui hæc prærogatiua tribuatur, ut dicatur τὸ αἴτιον, & causa, propter quam res est, nihil dixit in primo libro Aristoteles, neque in secundo usque ad illum quadragesimum septimum contextum, quia usq; ad eum locum semper accepit nomen causæ generaliter, & illud solum nos intelligere uoluit, quod scilicet quæcumq; & in quocunq; causæ genere sit causa illa, propter quam res est, ex ea sola perfectam eius rei scientiam consequi possumus, nullam unquam mentionem faciens materiæ, formæ, finis, & efficientis; particularem autem de singulis causarum generibus tractationem ad contextum quadragesimum octauum secundi libri, & alios sequentes remisit. Præterea, si philosophus causam propter quam res est, pro forma acciperet, ea esset uel subiecti, uel passionis demonstrandæ, sed consequens est falsum, ergo & illud, ex quo sequitur. falsitas consequentis ex Auerroe sumitur in trigesimo nono, & quadragesimo secundo Commentariis secundi libri Posteriorum, ubi declarans Auerroes ea, quæ de potissima demonstratione ab Aristotele dicuntur, inquit, eius medium semper esse causam efficientem, uel finalem, nunquam formam; si potissimæ demonstrationis medium nunquam est forma, ergo causa, propter quam res est, non potest accipi nec pro forma subiecti, nec pro forma passionis demonstrandæ. ratio, qua motus fuit Auerroes ad id pronunciandum, fuit, quia uidebat, formam passionis in conclusione potius, quàm in medio potissimæ demonstrationis contineri, subiecti uero formam & raro, & per accidens medium esse.

a

b

c

Propositæ obiectiones soluuntur.

CAP. III.

ANtequam propositas obiectiones dissoluamus, notandum est, passiones præter propriam essentiam, quæ constat ex genere, & differentia, habere causam extra essentiam, à qua ipsæ, & earum essentia producitur; quæ causa neque forma, neque materia in qua rei demonstrandæ esse potest, quia ambæ sunt de eius pro- d

a pria essentia, extra quam (ut diximus) est causa illa, hinc factum est, ut in definitione ipsius scire simpliciter philosophus dixerit, (per causam, propter quam res est,) hoc enim modo loquendi significare uoluit causam passionis effectricem, quæ denotatur per hanc præpositionem (propter) sed hæc causa effectrix non solum debet esse causa proxima, uerum etiam sufficiens, esse enim potest causa proxima, & in suo genere causæ adæquata, non tamen sufficiens, ut gratia exempli, terræ interpositio est defectus in Luna causa proxima, & in suo genere causæ, uidelicet efficientis, adæquata, non autem sufficiens; etenim supponit aliam causam in alio genere causæ, Lunam scilicet esse ita dispositam, ut à Sole lumen recipiat, eique per diametrum opponi possit, cum agens debeat agere in passum recte dispositum, Luna enim cum sit materia in qua ipsius defectus, reducitur ad genus causæ materialis. Præterea, hæc causa passionis effectrix esse potest uel in eodem subiecto, in quo est passio, uel extra illud. hoc constituto, dicimus, per τὸ αἴτιον, idest, per causam illam, propter quam res est, seu à qua res demonstranda emanat, non posse ab Aristotele intelligi nisi formalem subiecti causam, nam res

b demonstranda uel est propria passio, seu speciei aptitudo, uel eiusdẽ speciei actus Si res demonstranda fuerit propria passio, absque ullo dubio in potissima demonstratione medium, & causa erit subiecti definitio, cum à sola subiecti forma passiones habeant essentiam, non una ab altera, mediumque sit illa causa, à qua res demonstranda essentiam habet; Si uero actus fuerit, in eo demonstrando cum obiecto ad extra subiecti forma concurrit, quare subiecti ratio semper in potissima demonstratione erit medium, & causa, propter quam res est. hanc fuisse germanam Aristotelis mentem, declaro per eundemmet philosophum, & per eos, à quibus obiectiones contra sententiam nostram proueniunt; nam in decimo nono cõtextu primi Posteriorum secundum ueterem sectionem affirmat Aristoteles, potissimæ demonstrationis conclusionem habere secundum quod ipsum, quod per Aduersarios ad mentem philosophi est, quando subiectum per suam essentiam habet prædicatum, seu quando prædicatum competit subiecto per essentiam subiecti, &

c non ex alia ratione. Si itaque conclusionis prædicatum subiecto competit per essentiam subiecti, à qua habet ut sit, per essentiam subiecti de eodem subiecto demonstrabitur, ergo medium, & causa, propter quam est res demonstranda, in potissima demonstratione subiecti ratio erit. Insuper, philosophus in primo Posteriorum contextu trigesimo nono secundum ueterem sectionem uult, ut demonstratio faciens maxime scire progrediatur per causam non causatam, sed causa non causata nulla alia est nisi ratio subiecti, quia quando demonstratur unum accidens de subiecto per aliud accidens, demonstratur per causam causatam, ergo demonstratio illa maxime scire non facit, & propterea non est potissima; intentio igitur philosophi loco citato est, ut medium in demonstratione faciente maxime scire, quæ potissima est, subiecti ratio sit, considerata tamen tamquam

d propter quid passionis demonstrandæ. Ecce quomodo philosophus se ipsum determinat de qua causa intelligat in illa ipsius scire simpliciter definitione, nam si in toto primo libro philosophus acciperet nomen causæ generaliter, uidelicet,

pro

pro rei causa proxima, quæcumq; illa fuerit, non dixisset in primo posteriorũ loco citato, demõstrationẽ facientem maxime scire progredi per causam non causatam; præterea, sphærica figura in demonstranda luminis in Luna accretione esset eiusdem Lunæ forma, & causa non causata, quod tamen, & optime, Aduersarii negant; consequentia probatur, & primo, sphæricam figuram esse Lunæ formam, nam per eos demonstratio illa est potissima, ergo eius conclusio per Aristotelem habet secundum quod ipsum, atq; ideo prædicatum inest subiecto per essentiam subiecti, ergo per subiecti essentiam demonstrari debet; sphærica igitur figura, per quam luminis in Luna accretio potissima demonstratione demonstratur, esset ratio, uel forma Lunæ. Secundo, & ultimo, sphæricam figuram esse causam non causatam, propterea quod per Aduersarios huiusmodi demonstratio, cum sit potissima, facit maxime scire, sed per Aristotelem loco citato demonstratio, quæ facit maxime scire, per causam non causatam progreditur, ergo sphærica figura, per quam luminis in Luna accretio demonstratur, illius accretionis esset causa non causata. hac posita (ut ego opinor) ueritate, philosophum, scilicet, non loqui generaliter de causa in primo Post. methodum Aristotelis non peruertimus, dum definitionem illam interpretantes, quærimus quodnam causæ genus in ea philosophus significare uoluerit, quia non est Aristotelis intentio in libris posteriorum tractatum facere de causis, ita ut in eo, progrediendo ordinæ doctrinæ, prius agat de causis uniuersaliter, deinde particulariter de singulis causarum generibus, sed eius intentio est, in primo libro inuenire conditiones principiorum illius demonstrationis, quæ aliis perfectior est, in secundo uero inuenire quiditatiua definitionis prædicata, ut ex illis conflata definitio esse possit commune instrumentum ad quid substantiæ, & ad quid accidentium, ut abunde in præfationibus eorum librorum declarauimus. & licet in secundo sæpe philosophus de causis uerba faciat, id quasi coactus facit, ut uidere est in illis præfationibus. intentionem autem suam in primo libro assequitur philosophus ordine resolutiuo ex notione finis, qui necessitatem inducit iis, quæ sunt ad finem, non ex notione finis cuiuslibet demonstrationis, sed solum eius, de qua intendit, quia finis cum agentis intentione proportionem habere debet. Cum itaq; philosophus (ut diximus) ordine resolutiuo inuenire intendat conditiones principiorum demonstrationis propter quid simpliciter, quæ potissima dici solet, ab alio scire incipere non potest, quàm à scire simpliciter, quod ab omni genere causæ non producitur, sed solum à formali, non (ut paulo supra diximus) passionis demonstrandæ, quia forma rei demonstrandæ est de eius essentia, & potius in conclusione, quàm in principio potissimæ demonstrationis continetur; sed subiecti, à qua subiecti causa formali emanat res potissima demonstratione demonstranda. ne igitur Addiscentes crederent, omnia causarum genera esse causam illam, propter quam res demonstranda est, optime (nisi fallimur) definitionem illam interpretantes quærimus, quodnam causæ genus Aristoteles in ea significare uoluerit, quan-

a do dicit, (propter quam res eſt), licet enim ſcientibus id notum ſit, Addiſcentibus fortaſſe ambiguum eſſe poſſet. Tantum igitur abeſt, ut maxima repræhenſione digni ſimus, ut potius laudandi uideamur, cum ex Addiſcentium mentibus ambiguitatem remouere conemur. Ad aliam aduerſariorum rationem negamus conſequentis falſitatem, ad probationem fundatam ſuper Auerrois auctoritatibus in trigeſimo nono, & quadrageſimo ſecundo commentariis ſecundi libri Poſteriorum, dicimus, Auerroem, quando locis citatis ait, potisſimæ demonſtrationis medium nunquam eſſe formam, intelligere paſsionis, non ſubiecti formam, cum aſſerat, & optime, formam in concluſione potius, quàm in medio demonſtrationis contineri, nam forma ſubiecti nunquam in concluſione, ſed ſemper in medio potiſſimæ demonſtrationis continetur, cum ab illa paſsio demonſtratione potisſima demonſtranda habeat ut ſit, & conſeruetur. & licet Auerroes dicat, raro, & per accidens medium in demonſtratione eſſe definitionem ſubiecti, non aduerſatur ei poſitio noſtra, raro enim ſubiecti definitio in demonſtratione me-
b dium eſt, quia raræ ſunt, & raro fiunt potisſimæ demonſtrationes, in quibus per Ariſtotelis, & Auerrois fundamenta non poteſt eſſe medium niſi ſubiecti definitio, ut à nobis copioſe dictum fuit in propria diſputatione dè medio potisſimæ demonſtrationis. dixit, per accidens medium eſſe ſubiecti definitionem, non quia ſit uere per accidens, ſed quia ut formalis definitio ſubiecti non conſideratur; uerum ut cauſalis definitio paſsionis demonſtrandæ.

Earum conditionum unaquæq; probatur.

CAP. IIII.

CONFIRmata ex obiectionum ſolutione traditæ definitionis explica-
c tione, ad ſingulas propoſitionum potisſimæ demonſtrationis conditiones probandas reuertendum eſt, quarum prima de ſe manifeſtisſima eſt, quia ſi falſa concluſio, nimirum, diameter eſt commenſurabilis coſtæ quadrati, uel homo eſt non riſibilis; ſciri non poteſt, ſequitur, ut ſciatur tantum uera, ſed uerum demonſtratiuè non colligitur niſi ex ueris, ideſt, uerum non ſcitur ex falſis, alioquin falſitas eſſet cauſa ſcientiæ, quæ per demonſtrationem habetur, atq; ideo eſſet cauſa ueritatis, quod eſt abſurdum, ergo demonſtratio eſt ex propoſitionibus ueris. dixi uerum demonſtratiue, ideſt, ratione materiæ neceſsariæ, circa quam uerſatur demonſtratio, non colligi niſi ex ueris, quia ſyllogiſtice, hoc eſt, ratione formæ ex falſis quoque colligi poteſt, ſicuti neceſsarium ex non neceſsa-
d rio. Eſſe etiam demonſtrationem ex primis, & immediatis, ſeu ex indemonſtrabilibus, (idem enim ſunt, & ſe inuicem explicant iſtæ duæ conditiones) ex eo patet, quia ſi potisſimæ demonſtrationis principia eſſent

mediatá,& demonstrabilia,absq; demonstratione sciri mini ne possent, quoniam a
demonstrabilia,ut eiusmodi, per demonstrationem habentur,sicuti per definitionem habentur definibilia,ut definibilia,sed hoc est falsum, alioquin daretur progressus in infinitum,qui ab omni demonstratione remouetur,ergo potissimæ demonstrationis principia sunt immediata,&indemonstrabilia,lumine tamen intellectus sciuntur. Principia illa esse causas conclusionis, ex hoc patet, quia tunc aliquid scimus, quādo eius causam cognoscimus, si itaque tunc conclusionem scimus,quando eius causam cognoscimus, potissimæ demonstrationis principia sunt causæ conclusionis,cum demonstratio in uirtute principiorum eam sciri faciat. ex quo probatur, illa esse quoque priora conclusione hunc in modum, causæ sunt natura priores causato,sed potissimæ demonstrationis principia sunt causæ conclusionis, ut probatum est, ergo potissimae demonstrationis principia sunt priora cōclusione. Vltimo, esse conclusione notiora, hac ratione manifestum est; propter quod est unumquodq;, illud magis est, sed per b
principia nobis redduntur notæ conclusiones, ergo principia sunt nobis notiora conclusione,idest, illud cuius causa cognoscimus aliquid certa, & infallibili cognitione,est infallibiliter,&magis notum,sed principia potissimæ demonstrationis sunt illa,quorum causa cognoscimus conclusionem cognitione certa, & infallibili,ergo principia potissimæ demonstrationis sunt infallibiliter, & magis nota,quàm conclusio. Sed quia priora,& notiora dupliciter sunt,natura scilicet, & nobis,priora enim,&notiora nobis sunt sensui propinquiora,idest,effectus; simpliciter uero,seu natura priora,& notiora sunt uniuersalia,& causæ,quæ sunt à sensu remotissimæ; demonstratio potissima non progreditur ex prioribus, & notioribus quo ad nos, idest,uia innata nobis, uidelicet,ab effectibus, sed ex prioribus, & notioribus natura,idest,uia,& ordine,quo natura progreditur in operando, uidelicet,à causa ad causatum: ex hoc tamen non sequitur, ut illa causa, à qua potissima demonstratio progreditur,nobis ignota esse debeat,immo nota, cum omnis notitia sit nostra,non naturæ,quæ non cognoscit,quando igitur cognoscimus aliquid uia nobis innata,uidelicet,ab effectibus, dicimur illud cognoscere c
per ea,quæ sunt nota quo ad nos; quando uero aliquid ea uia cognoscimus, qua in eius constitutione natura progreditur,uidelicet,à causis, dicimur illud cognoscere per ea,quæ sunt nota natura,idest, nota nobis sequentibus in tali ratiocinatione ordinem naturæ in operatione,qui est (ut diximus) à causa ad causatum. Hæ sunt conditiones requisitæ potissimæ demonstrationis principiis, in quibus implicite continetur etiam illa,quæ præcipua est, uidelicet,potissimæ demonstrationis principia esse necessaria,nam si scire simpliciter, quod est finis demonstrationis potissimæ,est rem per causam cognoscere,quæ non contingit aliter se habere, sequitur, potissimam demonstrationem non effici nisi ex principiis, quæ non possunt aliter se habere,sed quæ non possunt aliter se habere, necessaria sunt; ut ex definitione necessarii patet,ergo potissima demonstratio non potest constare nisi ex necessariis principiis,per quæ syllogismus demonstratiuus à quolibet d
alio distinguitur.

a *Necessarij, ex quo potissima demonstratio constat, dictiq; de omni posterioristici explicatio.*

C A P. V.

CVM necessarium latitudinem habeat, aliud enim est, quod uocatur accidentale, seu secundum quid, aliud uero, quod appellatur essentiale, uel simpliciter; potissima demonstratio non constat ex necessario accidentali, quod fundatum in terminis nō conuertibilibus efficitur ex parte unius tantum termini propositionis, ex parte scilicet prædicati, quando genus de specie prædicatur, ut animal de homine, nam licet prædicatum subiecto necessarium sit, eo quia superiora necessario sunt in inferioribus, non tamen prædicato subiectum ex necessitate competit, cum inferiora accidant superioribus; sed constat ex necessario simpliciter, quod fundatum in terminis paribus, & conuertibilibus prouenit ex parte

b utriusq; termini propositionis, nam sicuti prædicatum est subiecto necessarium, ita subiectum est necessarium prædicato, ut patet quando prædicatur tota definitio de definito, uel ultima differentia, aut propria passio de subiecto; ex quo cōsequenter habemus potissimæ demonstrationis principia esse uera non contingenter, sed simpliciter. necessarium itaq; simpliciter tres conditiones requirit, uidelicet, dictum de omni, per se, & uniuersale; debent igitur potissimæ demonstrationis principia tres illas conditiones habere, quarum defectu simpliciter necessaria non essent. Et quoniam uniuersaliora semper præmitti debent, cum inter positas conditiones una sit aliis uniuersalior, ab uniuersaliori exordium sumemus, sed uniuersalior conditio est dictum de omni, nam quando dicimus, cygnus est albus, hæc propositio est de omni, cum omnibus cygnis, & in quolibet tempore albedo competat, attamen non est per se, neque in primo, neque in secundo modo, cum prædicatum non sit de quiditate subiecti, nec subiectum de

c conceptu prædicati; non habet etiam uniuersale prædicatum, quod significat adæquationem sui cum subiecto, cum albedo solum cygnis non competat; à dicto igitur de omni posterioristico, tamquam à conditione magis cōmuni, quàm per se, & uniuersale, incipiemus, dicentes, dictum de omni posterioristicum esse, quod utique non in aliquo quidem sit, in aliquo autem non, neque aliquando quidem, aliquando autem non, idest, dictum de omni posterioristicum esse, quod habet non solum subiecti uniuersitatem, cum de subiecto, & de omnibus sub eo contentis prædicatum uere dicatur, sed etiam temporis perpetuitatem, cum semper cuilibet subiecto idem prædicatum insit, ut homo est animal, hæc propositio habet dictum de omni posterioristicum, quia animal, de homine, & de omnibus particularibus hominibus prædicatur, præterea, sub qualibet temporis dif

d ferentia homini, & omnibus sub eo contentis animal inest. Ex quo patet, dictum de omni posterioristicum superare dictum de omni prioristicum, eo quia habet temporis perpetuitatem, qua caret dictum de omni prioristicum cuius rei ra-

tio est, quia in posterioribus consideratur materia necessaria, à qua temporis p. a
petuitas emanat, in prioribus uero nequaquam, cum in eis non de materia, sed tãtum agatur de forma syllogistica, à qua solũ subiecti uniuersalitas ortũ ducit.

Ex aliorum sententia noua differentia inter illa duo dicta de omni, eiusq; impugnatio.

C A P. V I.

ALio discrimine prædicationem de omni posterioristicam à prioristica discre pare, & eo quidem à paucis animaduerso Nonnulli opinantur, quòd scilicet posterioristica solam propositionem significet, prioristica uero non solam propositionem, sed totum denotet syllogismum. hanc opinionem ipsi confir- b mant Auerrois testimonio super primo priorum pluribus in locis, & præcipue in capite quincto, & uigesimo quarto, nam in quincto ait, dictum de omni duas necessario postulare conditiones, unam, ut maior propositio semper sit uniuersalis, alteram, ut minor sit semper affirmatiua. in uigesimo autem quarto inquit, dictum de omni esse in prima figura actu, in aliis uero non actu, sed potestate, hinc optime Aristoteles in capite de prima figura non usus est alia ratione ad modos utiles primæ figuræ confirmandos, quàm dictis de omni, ac de nullo, per. dictum enim de omni duorum affirmantium modorum efficaciam ostendit, & dictum autem de nullo duorum negantium. uult igitur Auerroes, dictum de omni integrum significare syllogismum, non simplicem propositionem. Hæc opinio (nisi fallor) peccat in utroq; dicto, primum enim cum ueritate conuenire non uidetur, ut scilicet prioristica prædicatio de omni totum denotet syllogismum, alioquin per locum topicum à definito ad definitionem dicto de omni prioristico competeret syllogismi definitio, quod falsum est, nam de ratione syllogismi est, ut in uirtute principiorum ex necessitate conclusionem inferat, seu c ut cum illationis necessitate aliquid notum faciat; de ratione uero dicti de omni prioristici est, ut nihil sumi possit sub subiecto, de quo non dicatur prædicatũ, aut, sicuti prædicatum, de subiecto uerum est, ita de omni contento sub subiecto uerum esse potest, quòd illationis necessitatem non indicat, neque ut medium de minori extremo prædicetur, qđ una cũ prædicatione maioris extremitatis de medio necessitas syllogisticæ illationis postulat. præterea, dictum de omni, non secus ac dictum de nullo est radix, & principium, in quod syllogismus re soluitur, quoniam syllogismus in propositiones, propositiones, in terminos, termini uero in dictum de omni, & dictum de nullo resoluuntur, ergo de primo ad ultimum syllogismus resoluitur in dictũ de omni, & dictum de nullo; dictũ igitur de omni integer syllogismus esse nõ potest, alioquin idem in se ipsum re- b solueretur, atq; ideo se ipsum componeret, cum compositum in ea resoluatur, d ex quibus componitur, quod est absurdum, ut scilicet, idem seipsum componat

a Nisi uelint, dictum de omni prioristicum esse totum syllogismum naturalem; qui radix est omnium artificialium syllogismorum affirmatiue concludentium, quos in libris priorum Aristoteles tractat, sed hoc dicere (quantum coniicere possum) nihil est, cum omnium tam naturalium, quàm artificialium syllogismorum eadem sit ratio, omnis enim syllogismus, quicumque ille fuerit, uel naturalis, uel artificialis, est ratio, in qua quibusdam positis necesse est aliud euenire per ea, quæ posita sunt, quod dicto de omni prioristico minime competit; in se ipsumque non resoluitur neq; naturalis, neq; artificialis syllogismus, non est igitur dictum de omni prioristicum neque integer naturalis, neque integer artificialis syllogismus. Cum ueritate etiam non conuenit quo ad alterum dictum, ut scilicet prædicatio de omni posterioristica solam propositionem significet, totumque syllogismum non denotet, sicuti facit prioristica, concesso nunc tamquam uero, licet falsum sit, ut prædicatio de omni prioristica totum denotet syllogismum. declaro, iacto prius hoc fundamento, ut scilicet agere de demonstratione, & agere de syllogismo ad materiam necessariam contracto, seu agere de materia necessaria formæ syllogisticæ subiecta idem sit, nam horum utrumque, uidelicet materia necessaria, & forma syllogistica, demonstratione communius est, cuilibet enim materiæ syllogismus applicari potest, circaque necessariam materiam non solum demonstratiuum, sed etiam definitiuum instrumentum uersatur, at demonstratio, & syllogismus ad materiam necessariam contractus conuertuntur. hoc posito fundamento, dicimus, cum demonstratio aggregatum sit ex syllogismo, & materia necessaria, rationi consonum non uideri, ut posterioristica prædicatio de omni solam propositionem significet, nam si à subiecti uniuersitate prioristica prædicatio de omni habet, ut totum denotet syllogismum, sequitur ut etiam posterioristica, cum ipsa quoque præter temporis perpetuitatem, subiecti uniuersitatem habeat; non solam igitur propositionem significat, sed totum quoque syllogismum denotat posterioristica prædicatio de omni, si prioristica prædicatio de omni denotet ipsa quoque totum syllogismum. Quod uero attinet ad Auerrois auctoritates, dicimus, eas opinioni nostræ potius fauere, quàm obesse, nam in capite quincto per ea uerba non uult, ut maior propositio semper uniuersalis, & minor semper affirmatiua; sint ipsius dicti de omni propositiones, sed ut illorum syllogismorum, in quibus actu reperitur dictum de omni, sicuti sunt syllogismi primæ figuræ, maior propositio sit semper uniuersalis, & minor semper affirmatiua. ex quo capite, quemadmodum ex uigesimo quarto, nec non ex capite de prima figura ipsiusmet philosophi, non elicitur, dictum de omni integrum syllogismum esse, seu totum syllogismum denotare, sed actu reperiri in syllogismis primæ figuræ, affirmatiue cōcludētibus, potestate uero in syllogismis aliarum figurarum, quod nemo sanæ mentis negare potest, cum oīum syllogismorum affirmatiue concludentium sit radix, & fundamentum.

De eo, quod per se est. a

CAP. VII.

ORatione iam absoluta dicti de omni posterioristici, sequitur id, quod est per
se ipso uniuersali communius, ualet enim dicere, est uniuersale, ergo per se;
sed non è contra, est per se, ergo uniuersale, quia hæc propositio, homo est ani-
mal, est per se in primo modo, & tamen uniuersale prædicatum non habet, quo-
niam animal cum homine non conuertitur, quam terminorum conuertibilita-
tem uniuersale posterioristicũ requirit, ut suo loco explicabitur; est itaque huius
modi uniuersali communius ipsum per se, quod nunc diuiditur in quatuor mo-
dos, quorum primus, secundus, & quartus sunt modi prædicandi, tertius uero,
ut ita dicam, essendi modus est; & licet sint multo plures modi per se, ut patet in
quinto Diuinorum libro cap. de per se, his tamen Aristoteles fuit contentus, ut b
ex tali diuisione appareret multiplex esse ipsum per se, neque omnes eius modos
potissimæ demonstrationi accommodari posse. sed Aliqui hanc, quæ commu-
nis est, opinionem quo ad utrumque dictum reprehendunt, & quo ad primum,
contendunt non esse rationi consentaneum, ut Aristoteles commisceat modos
prædicandi cum modis essendi, quia consilium eius est de propositionibus demõ
strationis, ac de earum necessitate loqui; non de rebus pro ut per se sunt extra
animum, cum hoc Logici munus minime sit; propositiones igitur necessarias
cum inquirat, prædicatioq; per se detur, quæ gradum quendam necessitatis in
propositione constituit, solas prædicationes per se debuit enumerare philoso-
phus, ut necessarias, & ad demonstrationem idoneas seligeret, dimissis reliquis;
alioquin absurda comparatio, & selectio fuisset; ueluti si quis præstantem philoso
phum quærens, fabrorum cum philosophis comparationem faceret, ex qua bo
num philosophum seligeret. non debuit igitur in medium afferre modos essendi c
per se, sed modos tantum prædicandi, ut facta horum collatione, utiles ab inuti
libus secerneret. quatenus uero ad secundum dictum pertinet, eam opinionem
reprehendunt per modorum dicendi per accidens, quos ibi adduxit Aristoteles,
considerationem, tres enim attulit modos dicendi per accidens, quatuor illis di
cendi per se ex opposito respondentes; quamobrem quærunt, cur Aristoteles
non spreuit modos dicendi per accidens, si plures spreuit modos dicendi per se;
quorum nullam facit mentionem; magis enim spernendi erant modi dicendi
per accidens, quàm modi dicendi per se, uel, si modi per accidens prætermitten-
di non erant, multo minus modum aliquem per se omittere conueniebat. Ho-
rum reprehensio quo ad primum dictum non uidetur admodum tuta, quia cum
per se, quod ipsum necessarium requirit, sit multiplex, & æquiuocum cogebatur
philosophus per ea, quæ dixit in primo de cælo tex: com: decimo supra centesi
mum, pônere non solum eius modos prædicandi, sed etiam essendi, licet modi es
sendi demonstrationem non ingrediantur; ex quo non sequitur, quòd absurda d
comparatio, & selectio fuisset, quia modi essendi sunt per se, sicuti modi prædican

di, at faber in adducto exemplo non est philosophus,& ideo non est cum philosophis comparandus, ut ex illa comparatione aliquis bonum, & præstantem
A philosophum, quem quærit, eligere possit. non est itaque par ratio de fabro respectu philosophorum,& de modo essendi per se ratione modorum prædicandi per se, quia licet modus essendi per se non sit modus per se prædicandi,est tamẽ per se, faber uero (ut diximus) non est philosophus. Ad id uero, quod in secunda reprehensione quæritur quoad alterum dictum, existimo hunc in modum responderi posse, cum philosophus posuerit aliquos modos dicendi per se, conueniens erat, ut etiam modos dicendi per accidens illis per se ex opposito respondentes adduceret, qui quidem non erant hac de causa spernendi,quia habent modos dicendi per se oppositos; spreuit autem alios modos per se,quia non est necessarium in alicuius æquiuoci distinctione omnia eius significata enumerare,sed utique necessarium erat ponere modos prædicandi,& modos essendi per se, ut ostenderet ipsum per se multiplex,& æquiuocum esse.
B

Ex aliorum sententia de noua modorum dicendi per se, & ex accidenti diuisione.

CAP. VIII.

Diuisione hactenus à nemine cognita Nonnulli manifestare conantur,modos per se ab Aristotele consideratos esse omnes modos enunciandi, determinãdo prius, id, quod diuidendum proponitur,non esse modos essendi,neque modos enunciandi, quia modos docere, quibus simpliciter res sunt, non est officium Logici, & modos enunciandi considerare, atq; distinguere ad librum de Interpretatione, non ad libros Posteriorum spectat; sed esse modos enunciandi in scientiis usitatos pro ut à modis essendi deriuantur,& cum eis conueniunt,seu modos essendi pro ut inde uarii modi enunciandi deducuntur, quos omnes,nullo prætermisso, Aristotelem ibi recensere hac diuisione à nemine (ut diximus) hactenus cognita manifestare conantur,In omni (inquiunt) propositione uel prædicatum & subiectum re ipsa non distinguuntur, uel sunt duæ res diuersæ, quarum alterã in altera inesse, uel non inesse pronunciamus, idest, affirmamus,uel negamus,prædicatum à subiecto re ipsa non distinctum dicimus in ea propositione, quæ uocatur de secundo adiacente, ut homo est, quia ibi (est) non significat nisi existentiã rei extra animum, existentia uero non est aliquid reale, quod tamquam ab homine re ipsa distinctum in eo esse dicatur, sed nuda intentio animi est, & accidens (ut uocant) intentionale, non reale, quod quidem homini attribuimus,dum rem cum conceptione animi conferentes, dicimus, homo est. diuersum est prędicatũ à subiecto, quando aliquid reale de subiecto prædicamus,ueluti cum dicimus,ho-
D mo est animal, homo currit, & huiusmodi. Si itaque prædicatum à subiecto diuersum non sit, potest esse prædicatio tum per se, tum per accidens, nam cum sola rei

la rei existentia enuntietur, si res, quæ esse dicitur, per se existat, enunciatio quo A
que dicitur esse per se, si uero res per se non existat, enunciatio quoque non est per se, sed dicitur esse ex accidenti; cum itaque substantia per se existat, quia nulli subiecto inhæret, per quod existat, accidens autem non per se existat, sed per subiectum, à quo suscipitur, quoniam omne accidens in subiecto hæret; hinc est, ut propositio illa, homo est, per se, hæc uero, album est, per accidens sit in tertio modo, in quo considerat Aristoteles modum essendi, quatenus ab eo deriuatur, ac nominatur modus enunciandi per se, uel per accidens. & licet soli primæ substantiæ attribuat Aristoteles ut per se sit, dicendo, substantia autem, & quæcumq; hoc aliquid significant, substantiam tamen uniuersalem non excludit, cum à substantia prima, & indiuidua non distinguatur, & utriusq; eadem sit existentia; uoluit igitur Aristoteles cum substantia prima, & indiuidua omnem substantiam per se existere, quia nullam aliam conditionem ponit, quæ tertium illum modum constituat, nisi hanc unam, in subiecto non esse, quod B
omni substantiæ competit. Si uero prædicatum fuerit aliquid reale à subiecto diuersum, necesse est, ut sit uel subiecto iunctum, & inhærens, uel ab eo distinctum, & loco separatum. quando igitur prædicatum à subiecto disiunctum est, ut cum dicimus, eclipsis est obiectio terræ, oritur quartus modus dicendi per se, & modus per accidens, qui illi opponitur. per se est, quando relatio, & proportio inter prædicatum, & subiectum est essentialis, ita ut alterum causa sit, & alterum effectus, ueluti gratia exempli, si dicamus, aliquis iugulatus interiit ex iugulatione, eclipsis est terræ interiectio. per accidens autem est, quando relatio inter illa est accidentalis, ita ut neutrum alterius causa sit, ueluti, si dicamus, aliquo ambulante, coruscauit, coruscatio namque ab ambulante est loco disiuncta, & neutra alterius est causa. quando autem prædicatum subiecto iunctum est, necesse est, ipsum uel de essentia subiecti esse, uel ei tamquam accidens inhærere. Si est de essentia subiecti, oritur primus modus dicendi per se, si uero subiecto C
tamquam accidens inhæret, uel erit proprium, quod essentiam consequitur, uel commune, quod cum essentia subiecti nullam affinitatem habet, cum uere neque eam constituat, neque ab ea constituatur; si erit proprium, oritur secundus modus dicendi per se, in quo proprium illud prædicatum accipit in sui definitione subiectum; si autem erit accidens commune, quod neutro modo subiecto inhæret, fit modus prædicandi ex accidente, qui duobus memoratis modis ex aduerso respondet, ueluti, si dicamus, animal est musicum, uel animal est album.

Proposita modorum dicendi per se, et ex accidenti diuisio impugnatur.

C A P. I X.

RATIO, quæ sub initium præcedentis capitis redditur quare scilicet D

non debuit Aristoteles in posterioribus numerare, ac distinguere neque modos essedi, neq; modos enũciandi, uidetur esse dubia, quia ibi philosophus nõ di
A stinguit ipsũ ꝑ se ĩ modos essẽdi, & in modos enũciãdi, ut modos, quibus res simpliciter sunt, modosq́ simpliciter enunciandi doceat, quia nemini dubiũ est, illud non esse munus logici, & hoc ad librum Perihermenias, non ad libros posteriorum pertinere; sed ut ostendat ipsum per se multiplex, & æquiuocum esse, ac non omnes eius modos demonstrationem ingredi, quod Auerroes quoq; notauit in primo posteriorum Com: trigesimo tertio. cum itaq; coactus fuisset Aristoteles ea de causa diuidere ipsum perse in sua significata, rationi consentaneum erat, ut unumquodq; significatum declararet quomodo sit per se, & quomodo ipsum per accidens sit à per se contradistinctum. Quatenus uero spectat ad diuisionem, existimamus eam posse pati aliquid difficultatis circa utrumq́ membrum, & primo circa primum, quia in propositione illa de secundo adiacente, uidelicet, homo est, idest, homo existit, existentia, cum sit accidens etiam intentionale, dicit quid diuersum à subiecto, quod est substantia, nec propterea sequitur, ut esse existentiæ simul cum subiecto
B ponat in numerum, sola enim realis compositio ex sententia philosophi ponit in numerum; sed concesso existentiam non dicere quid diuersum à subiecto, propositiones in tertio modo, quibus hoc competit, ut scilicet earum subiectum, & prædicatum re ipsa non distinguantur, non possunt esse nisi singulares, nempe, callias est, callias non est; sed propositiones singulares in scientijs non usurpantur, ergo falsum uidetur esse, ut omnes enunciandi modi, quos illa diuisione philosophus enumerat, in scientiis usurpentur. in tertio modo per se, concesso nunc ut in eo efficiantur modi enunciandi, non posse reperiri nisi singulares propositiones, clare patet, quia philosophus ibi loquitur solum de re, quæ per se existit, hæc autem nõ potest esse nisi indiuidua, & singularis substantia, quoniam existentia est una ex proprietatibus indiuiduorum, per quæ postea omnibus aliis entibus competit, hinc optime dixit Aristoteles in Cap. de substantia, non existentibus primis substantiis, impossibile est aliquid aliorum remanere; quamobrem periculosum esse uidetur fundamentum,
C super quo noua hæc opinio innititur, uidelicet, omnem substantiam habere, ut in subiecto non sit; ex eo enim non potest inferri, ergo omnis substantia per se existit, alioquin contra præcepta philosophi una essent ueritas antecedentis, & consequentis falsitas, uerissimum namque est, omni substantiæ competere in subiecto non esse, attamen falsum est, omnem substantiam per se existere, ut patet de forma substantiali, & de materia, quarum una absq; altera extra animam per se non existit, & tamen utraque in subiecto non est. à ueritate itaque uidetur recedere, ut non esse in subiecto sit sola conditio, per quam tertium modũ per se philosophus cõstituat; qđ manifestissimũ esse potest põderãtibus uerba philosophi, quæ huiusmodi sunt, (Amplius), quod non de subiecto alio quodam dici-
D tur, ut ambulans, aut album, cum & alterum quiddam sit ambulans, & album. Substantia autem, & quæcumque hoc aliquid significant, non alterum ali-

quid sunt,quàm quod quidem sunt, quæ quidem igitur non de subiecto alio,per A
se dico, quæ uero de subiecto,accidentia:)ex quo contextu indicat philosophus tertium modum per se constitui solum per ipsum non dici de subiecto . Nec respódere possunt , Aristotelem hic accipere non dici de subiecto pro non esse in subiecto, quia frustra addidisset,(& quæcumque hoc aliquid significant,)pro ptereaquòd dicere sat erat, (substantia autem,) cum omni substantiæ(ut dictum est) commune sit in subiecto non esse. Præterea, aduersarentur Auerroi in com. 33. primi posteriorum,ubi expresse hæc uerba habentur, (& quæ non insunt alicui, neq; dicuntur de aliquo subiecto, illa sunt per se,) quare ex eius sententia, præter ipsum non esse in subiecto , requiritur etiam non dici de subiecto, quæ conditio præcipua est ad constitutionem tertii modi per se. & quoniam uidebant, uerba illa, quæ philosophus addidit,solam indiuiduam substantiam exprimere, ideo dixerunt,licet soli primæ substantiæ attribuat philosophus ut per se sit,eo quia loquitur ibi de rei extra animum existentia, quæ nulla alia est nisi sub B
stantia indiuidua , substantiam tamen uniuersalem,quæ pro natura communi accepta uniuersale in multis nuncupari solet,non excludit, propterea quòd à substantia indiuidua non distinguitur; & utriusque eadem est existentia.Quæ uerba Auerroi loco citato repugnare uidentur , ubi ad tertium modum per se uult non solum requiri in subiecto non esse, quod omni substantiæ commune est, sed etiam non dici de subiecto,per quod substantia communis excluditur, cum ipsa de subiecto dicatur. Præterea, si substantia uniuersalis à singulari non distingueretur,& utriusque eadem esset existentia,cælum non differret ab hoc cælo,quare tam qui dicit cælum, quàm qui dicit hoc cælum , diceret formam in materia,& tam qui dicit hoc cælum,quàm qui dicit cælum, diceret formam tantum,quod repugnat philosopho in primo cæli tex: com: nonagesimo secundo, ubi ait, qui dicit cælum , dicit formam,& qui dicit hoc cælum,dicit formam in materia; ex quo philosophus innuere uidetur , aliam esse rationem formæ,ut forma est, non C
autem ut est opus intellectus,idest, non ut est uniuersale post multa, ac Logicū, aliam esse rationem formæ,ut in materia; quare homo,& Socrates,quamuis materialiter sint idem, formaliter differunt, quia alia est ratio , per quam homo est homo, & alia,per quam Socrates est Socrates; si formaliter differunt , non est utriusque eadem existentia, cum existentia substantiæ indiuiduæ , non autem substantiæ communis naturam sequatur . quantum igitur coniicere possumus ex Aristotelis, & Auerrois uerbis in tertio modo per se non continentur nisi substantiæ primæ , alia uero omnia, nimirum,accidentia, & secundæ substantiæ, accidentia sunt, sed in hunc sensum, pro ut scilicet accidens à tertio modo per se contradistinguitur, quod perinde est,ac si dicatur. ,secundæ substantiæ, & accidentia non sunt , per se in tertio modo, quia de subiecto prædicantur , cum tertio illi modo per se non solum esse in subiecto , sed etiam dici de subiecto repugnet ; ut ex Auerroe colligitur in illo commentò trigesimo tertio primi posteriorum . Quare melius fortasse dici posset , propositionem illam uni- D
uersalem de secundo adiacente , uidelicet , homo est , non in tertio , sed

in primo modo collocari , ſiue reducatur quæſtio an ſit ad problema generis, ſiue ad problema accidentis, ſi enim reduceretur ad problema generis, eſset in
A primo modo per ſe, quia tunc prædicatum eſset de eſſentia ſubiecti, ſi autem re duceretur ad problema accidentis,eſset in eodem modo,nec non in ſecundo p accidens,quia nec prædicatum eſſet de quiditate ſubiecti , nec ſubiectum eſſet de conceptu prædicati, quarum conditionum alterã (ut paulo infra uidebimus) primus modus dicendi per ſe , alteram uero ſecundus poſtulat. Quatenus autẽ ſpectat ad alterum iam adductæ diuiſionis membrum, in quo ſeparatur quar tus à primo,& à ſecũdo modo,arbitramur in eo aliquid difficultatis latere,quo niam quartus modus non ſemper conſtituitur , eo quia prædicatum alicuius propoſitionis ſit[à] ſubiecto diſtinctum, & loco ſeparatum, propterea quòd fieri poteſt ut aliqua propoſitio ſit in quarto modo per ſe, & tamen prædicatum , & ſubiectum non ſint loco diſtincta,ut uidere eſt de illa propoſitione, animal ratio nale eſt riſibile, hæc enim propoſitio eſt in quarto modo,ut inferius ſuo loco de
B clarabimus, attamen ambo,uidelicet, animal rationale, & riſibile in homine ſũt; Quare tutius (niſi fallor) modi prædicandi per ſe poſſent inter ſe diſtingui ra tione diuerſitatis cauſarum , in quibus fundantur, quoniam primus modus fun datur primo in cauſa formali,ſecundo autem in cauſa materiali ex qua,cum for ma non poſſit ſine huiuſmodi materia conſiſtere;ſecundus fundatur in cauſa ma teriali in qua, quartus uero in cauſa efficiente , & finali, quæ omnia in horum modorum explicatione inferius declarabimus ; tertius ab illis diſtinguitur non ratione diuerſitatis cauſarum, ſed quia eſt modus eſſendi,illi autem prædicãdi.

Auerrois teſtimonio modorum dicendi per ſe diuiſio confirmata impugnatur.

C A P. X.

C NOua illa modorum dicendi per ſe diuiſio ab illis confirmatur pluribus Auerrois auctoritatibus , nam in commentariis ſuis.30. 32. 33. & 34. pri mi poſteriorum expreſſe uult Auerroes,nullum enunciationis genus dari,quod ſit in ſcientiis uſitatum,præter ea,quæ Auctores prædictæ diuiſionis commemo rarunt , quandoquidem aut alicuius rei exiſtentia enunciatur,aut res de re præ dicatur,eaq; uel ei coniuncta,uel diſiuncta eſt. ſi autem aliquis alius afferatur ab interpretibus modus dicendi per ſe,ille facile poſset ad aliquod illius diuiſionis membrum redigi, ſicuti & ipſi redigunt quinctum modum per ſe à Themiſtio excogitatum in primo Poſteriorum Cap.x. quando ſcilicet accidens de accidẽ te prædicatur, nempe, ſuperficies eſt colorata; quia ſi uera eſt diuiſio prædicati inhærentis facta ab Ariſtotele,neceſse eſt, uel colorem eſse de definitione ſuper
D ficiei,& ita primum eſſe modum,uel colorem in ſua definitione accipere ſuperficiem,& ita eſse proprietatem ſuperficiei,proinde eſse ſecundum modum , non

quinctum; uel tandem neutrum esse de alterius definitione, & ita non esse modum dicendi per se, sed potius esse modum dicendi per accidens, cuius meminit Aristoteles. hæ sunt Auerrois auctoritates, quibus illi suam modorum dicendi per se nouam diuisionem corroborant. Quidquid sit de opinione Commentatoris circa hanc diuisionem, suppono eum fuisse huius sententiæ, ut quatuor sint modi enunciandi per se, nullumque aliud enunciationis genus dari præter ea, quæ attulerunt prædictæ diuisionis Auctores, sed quomodo ex mente Auerrois asserere possunt in tertio modo per se esse propositiones in usu in scientiis, cum dicat Auerroes, quæ in tertio modo per se sunt, non esse in subiecto, nec de subiecto prædicari? hæc autē ex Aristotelis sententia in ante prædicamētis capite secundo nō possunt esse nisi substantiæ indiuiduæ, quæ in scientiis nullo pacto usurpātur. quo uero ad Themistium de illo quincto modo dicendi per se, existimamus iure eum optimo impugnatum fuisse, quia illa propositio, de qua etiam philosophus mentionem fecit in quincto Diuinorum contextu uigesimo tertio sub initium, reduci potest ad secundum modum dicendi per se, cum sit color affectio superficiei. Sed quid responderi poterit ad Aristotelem in eodem contextu circa finem, quando dicit, superficies est per se alba? hæc propositio usurpatur in scientiis, & tamen non est per se eo modo, quo determinatum est per se ab Aristotele in præsenti parte, quod inductiue probari potest, nam in primo modo non est, quia prædicatum non est de conceptu subiecti; non est etiam in secundo, quoniam secundus requirit terminos conuertibiles, cuiusmodi non sunt, superficies, & album, nam licet omne album sit in superficie, non tamen omnis superficies est alba; non esse etiam in tertio modo patet secundum eorum diuisionem, prædicatum enim est à subiecto re ipsa distinctum, quod repugnat illi tertio modo; manifestum est etiam non esse in quarto, quoniam eius prædicatum est iunctum subiecto, & ipsi inhærens, quod ex eorum sententia quarto modo non competit, ergo præter modos per se iam descriptos in primo posteriorum dantur etiam alii, quibus in scientiis utimur, & ad illos reduci non possunt, nisi uelint, propositionem illam esse per accidens in primo, & in secundo modo, sed hoc nihil est, quia per Aristotelem quæ per accidens sunt in illis duobus modis non sunt per se, sed propositio illa, uidelicet, superficies est alba, ab Aristotele dicitur per se. fortasse dicere possent, pro uno, & eodem intelligi, esse propositiones in usu in scientiis, & esse utiles demonstrationi, qualis non est propositio illa; sed tunc contra se habent, tertium modum non efficere propositiones, & si illas efficeret, non fore utiles demonstrationi, cum sint singulares, & binariæ; Præterea, quartus modus secundum suum totum ambitum non est utilis demonstrationi, de qua principaliter uerba facit philosophus in primo posteriorum, ergo in adducta diuisione non omnia membra huiusmodi demonstrationi utilia sunt; quamobrem non esse in hoc recedendum à communi opinione, de qua facta est mentio sub initium octaui capitis, tutius existimamus.

A *De primo modo dicendi per ſe.*

CAP. XI

CONſtituta ipſius per ſe diuiſione in quatuor modos, ad ſingulos explicandos accedimus,& primo ad primum,dicentes, primum modum eſſe illum, in quo prædicatum eſt de quiditatiua ratione ſubiecti,cui ineſt,& hoc erit ex ſententia Commentatoris uel tota definitio, ut homo eſt animal rationale, uel partes eius, nempe, genus, & differentia, ut homo eſt animal, nec non homo eſt rationalis, aut pars generis, aut pars differentiæ. Nonnulli declarantes quid per partem generis, & differentiæ intellexerit Auerroes, dicunt, eum intellexiſſe genus remotum,& remotam differentiam, per ſimpliciter antem genus,& differentiam, proximum genus, ac differentiam proximam, genus enim remotum pars eſt eſſentialis proximi generis, ut corpus reſpectu animalis, cum in animalis definitione ſumatur; Differentia uero remotá non ita dicitur pars differentiæ proximæ, ſed alia ratione, quandoquidem omnis differentia tam proxima, quàm remo-

B ta ſimplex forma eſt, quæ partibus caret; uerum quia per differentiam proximā res differt ab omnibus aliis rebus, per remotam uero non ab omnibus,ſed ab aliquibus, ideo differentiā remota dicitur pars differentiæ, proxima uero dicitur ſimpliciter differentia, & alias omnes complectitur, uel ſaltem ſupponit,quia ſine illis nullo pacto eſſe, aut excogitari poteſt. quod quidem remotum genus,& remota differentia eatenus de ſpecie prædicantur per ſe primo modo, licet in eius definitione non exprimantur,quatenus in proximo genere, quod exprimitur, actu continentur, ut patet de corpore,& de animato, quæ explicite non ponuntur in hominis definitione,ſed implicite pro ut in animali, quod in illa definitione nominatur, actu incluſa,& comprehenſa ſunt, idem enim eſt dicere animal; ac dicere corpus animatum ſenſitiuum, ſi definitio idem eſt, ac definitum. Poſita uerborum Auerrois declaratio ex eo ſuper hoc primo modo dicendi per ſe minime (niſi fallimur) colligi poteſt, cum ibi aliam de partibus differentiæ ſenten-

C tiam habere uideatur, inquit enim, (cum uero dicimus, quòd prædicatum eſt per ſe, eſt, ut prædicatum ſit in definitione ſubiecti,aut ſecundum quòd eſt definitio perfecta, aut pars definitionis,quemadmodum acceptio lineæ in definitione trianguli, nam trianguli definitio eſt,qui comprehenditur à tribus lineis: igitur linea in definitione trianguli procedit per modum partis ſegregantis, ideſt, differentiæ. Et quemadmodum punctum, quod accipitur in definitione lineæ,& hoc,quoniam linea definitur, cuius extrema ſunt punctum, aut puncta: igitur punctum reſpectu lineæ ſe habet per modum partis ſegregantis,quoniam differentia ipſius perficitur ex numero,& puncto: hoc eſt, quia ſunt duo puncta.) hæc Auerroes, cuius uerba hunc habent ſenſum, uidelicet, in alicuius rei definitione ſumi poſſe integram differentiam pluribus dictionibus expreſſam,ut in trianguli definitione

D tres lineas,& in lineæ definitione duo puncta, nam triangulus eſt figura plana tribus Lineis comprehenſa, nec non Linea eſt Longitudo ſine latitudine, cuius ex-

trema sunt duo puncta. at si in definitione trianguli ponatur linea sine numero, & in definitione lineæ sine numero ponatur punctum, uidelicet, triangulus est figura plana à lineis comprehensa, & linea est longitudo sine latitudine, cuius extrema sunt puncta; linea, & punctum in definitione trianguli, & lineæ procedunt per modum partis differentiæ, & sunt in primo modo dicendi per se, sicuti tota differentia. per partes igitur differentiæ non intelligit Auerroes differẽtias remotas, idest, superiores in eodem prædicamento differentias, quas supponit proxima differentia, sicuti per partes generis intelligit genera remota usque ad generalissimum, sed intelligit uere partes, ex quibus integra differentia constituitur, easq; non secus, ac completam differentiam, uult esse in primo modo dicendi per se, ex quo duo eliciuntur, unum, ut prædicatio sit naturalis, quæ est, quando de subiecto prædicatum enunciamus, sicuti extra animum re uera in eo inest, quando scilicet prædicamus accidens de substantia, & causam de causato substantiali, ut homo est albus, & homo est rationalis, re enim uera, & albedo, & rationalitas in homine sunt. Prædicatio uero præter naturam opposito modo se habet, quando scilicet de subiecto enunciamus aliquod prædicatum, quod extra animum re uera in eo non inest, sicuti album est homo, uel rationale est homo, neque enim albedini, neque rationalitati inest homo, sed è contra. Alterum, quod elicitur ex primo modo dicendi per se, est, omnia prædicata primi modi esse formalia, & quiditatiua prædicata, quæ in singulis prædicamẽtis reperiuntur, cum in uno quoq; prædicamento ex philosophi sententia in primo Topicorum Cap. septimo sit quod quid est. hinc patet primum modum fundari in causa formali principaliter, consecutiue autem in causa materiali ex qua, tamquam in uehiculo deferente formam, quæ sine huiusmodi materia subsistere non potest, asserere itaque, ut multi faciunt, materiam ex qua, quæ est altera pars compositi, non secus, ac formam, esse in primo modo dicendi per se, in quo (ut dictum est) omnia prædicata sunt formalia, & de quiditatiua ratione subiecti, est asserere quiditatem rei constare ex tali materia, & forma; quæ sententia repugnat Aristoteli pluribus in locis, & præcipue in secundo Physicorum capite de causis, in septimo Diuinorum contextu trigesimo quarto, & in tertio de Anima contextu nono; nam in secundo Physicorum loco citato distinguens philosophus causas inter se, determinat, omnes partes definitionis esse formam. nec dici potest, sicuti omnes ferè Latini uidentur uelle, philosophum intelligere de forma totius, quia ibi loquitur de illa forma, quæ contradistinguitur à materia ex qua, hæc autem est forma partis, non forma totius, quia cum per illos forma totius sit aggregatum ex materia, & forma partis, tantum abest, ut hæc forma totius distinguatur à materia ex qua, seu à materia partis, ut potius eam contineat. ex sententia igitur philosophi in eo capite de causis Materia non potest esse pars definitionis, & propterea quiditatis, cum definitio rei quiditatem declaret. in septimo uero Diuinorum, & in tertio libro de Anima affirmat in quibusdam idem esse quiditatem, & habens quiditatem, in aliquibus autem differre, ergo in habente quiditatem, quod constat ex materia, & forma, necesse est ut sit

A B C D

aliquid, per quod quiditas differat ab habente quiditatem, sed hoc non potest esse nisi materia ex qua, ergo huiusmodi materia non est pars quiditatis, alioquin
A idem esset quiditas, & habens quiditatem in omnibus, si in habente quiditatem nihil esset, quod poneret discrimen inter quiditatem, & habens quiditatem. Nec urget quod dici solet de genere in definitione substantiæ compositæ, quia licet in ea genus uicem materiæ gerat, non idcirco est materia, sed forma communis, quæ comparata formæ propriæ, cum sit in potentia ad illam, sicuti materia ad formas, iure optimo dicitur gerere uicem materiæ. non est igitur materia pars quiditatis, intelligendo unà cum philosopho locis citatis quiditatem pro forma, at si quiditas intelligatur pro composito ex materia, & forma, non erit absurdum dicere, materiã esse partem quiditatis, cum enim quiditas, quæ ab uno, & ad unum dicitur, se habeat ut nomen, quod ui sua duo indicat, formam scilicet, & compositum, sed primo formam, & secundo compositum, non mirum esse debet, si quiditas quoq; duo indicet, quiditatem scilicet pro forma, & hanc primo, cuius pars non potest esse materia, nec non quiditatem pro composito ex materia, & forma, & hanc secundo, cuius partem esse materiã non est incongruum.
B

De secundo modo dicendi per se.

CAP. XII.

SEcundus modus dicendi per se est, in quo subiectum est de conceptu prædicati in eodem subiecto existentis, ut gratia exempli, quando dicimus, homo est risibilis, linea est recta, uel curua, & numerus est par, aut impar, nam in definitione risibilitatis ponitur homo, cui inest, in definitione recti, uel curui collocatur linea, in qua insunt, & in definitione paris, aut imparis ingreditur numerus, cui inexistunt; hinc factum est, ut philosphus dixerit, per se esse in secundo modo, quibuscumque inexistentium ipsis, ipsa sunt in oratione quid est declaran
C te, idest, per se in secundo modo sunt, quando ipsa, hoc est, quando subiecta sunt in oratione ipsum quid est declarante, idest, quando subiecta sunt de quiditatiua definitione quibuscumque inexistentium ipsis, idest, omnibus prædicatis, quæ in illis subiectis inexistunt. unde patet in secundo modo dicendi per se non esse prædicata nisi accidentia propria, cum in eorum prædicatorum definitione ponatur subiectum ut differentia. quæ quidem propria accidentia, cum suorum subiectorum essentiam sequantur, essentialia accidentia nuncupari solent, dupliciaq; sunt, alia enim unica dictione proferuntur, ut risibile respectu hominis, alia uero dictionibus oppositis, ut par, & impar respectu numeri. manifestissimum etiam est, in hoc modo non secus, ac in primo, esse naturales prædicationes, cum in utroq; modo prædicatum subiecto inexistat. quare iniuria sane quidem omnibus Ari
D stotelis expositoribus attribuunt nonnulli, ut ex eorum sententia philosopus unã duntaxat primi modi dicendi per se conditionem statuat, uidelicet, prædicatum

esse

esse de subiecti definitione, unamq; secundi, subiectum, scilicet, esse de conceptu prædicati; quia si omnes sentiunt, prædicationes per se potissimam demonstrationem ingredientes esse ex mente philosophi naturales, ex eius quoque sententia affirmare coacti sunt, utriusq; modi prædicatum subiecto inesse debere, quod tamquam præceptum in hoc contextu ab Aristotele traditum supponentes, alioquin asserere non potuissent, prædicationes per se esse naturales, quærunt dumtaxat modum, quo prædicata in primo, & in secundo modo debeant inesse, in primo, ut sint de quiditate subiecti, in secundo, uero, ut subiecta sint de eorum definitione. Ecce, ipsos etiam ex mente philosophi duas utriusque modi côditiones statuere, unam explicite, alteram implicite. Qua cognita ab omnibus ferè Aristotelis explicatoribus ueritate, non potuerunt uerba illa (ὅσα ὑπάρχει τε ἐν τῷ τί ἐστιν, & quæ sequuntur,) sic exponere, ut eis attribuitur, uidelicet, quæcumque prædicata insunt in definitione, ita ut uerba illa (ἐν τῷ τί ἐστιν) idest, in definitione; significent id, in quo prædicatum inesse dicitur, quoniam supponitur ab illis (ut diximus) prædicata in utroque modo inesse subiecto, non in definitione, cum naturaliter definitionem inesse, non subiici ab omnibus ex sententia philosophi cõcedatur; sed exponunt, omnia prædicata, quæ naturaliter de subiecto prædicantur in eo quod quid est, ita ut in eius definitione sumantur, esse in primo modo dicendi per se, & quæ de subiecto naturaliter prædicantur, ita ut in eorum definitione ponatur subiectum, esse in secundo modo. Cum itaque in utroque modo sint prædicationes naturales, clare patet, primum modum nunquam secundum, nec secundum unquam posse fieri primum, alioquin in illis daretur prædicatio præter naturam, si enim hæc propositio in primo modo, uidelicet, homo est animal rationale, quæ habet naturalem prædicationem, per terminorum conuersionem fieret in secundo, ut animal rationale est homo, absque ullo dubio in ea fieret prædicatio præter naturam. A B C

De causa, super qua fundatur secundus modus dicendi per se.

CAP. XIII.

HIS hac ratione explicatis, uidendum nunc est in quo genere causæ fundetur hic secundus modus, in causa enim materiali ex qua, & formali minime, quia solum ad primum modum pertinent, principaliter (ut diximus) una, altera uero ex consecutione; nec etiam in causa efficiente, & finali, quoniam solum quartum modum constituunt, ergo in nulla, secundus igitur modus essentialem terminorum connexum non habebit, quamobrem eius propositiones non erũt per se. Soluit D. Thomas hanc dubitationem pro cuius solutionis intelligentia aduertendum est, materiam duplicem esse, unam internam, quæ est altera pars compositi, nũcupaturq; materia ex qua, alterã uero externam, quæ dicitur materia in qua, seu subiectum actu existẽs ex materia, & forma compositum, ut homo, qui compositus est ex substantia animata sensitiua, & rationalis qualitate, quæ respectu hominis forma, respectu uero hominis proprietatum est causa effe- D

M

ctrix; quare accidens proprium à subiecto ex duplici genere causæ fluere uide-
A tur, primum quidem ut à materia in qua, deinde ut ab efficiente. hoc posito, inquit D. Doctor, omnem propositionem, in qua de subiecto accidens proprium prædicatur, esse per se duobus simul modis, secundo, & quarto, propter illam duplicem deriuationem accidentis proprii à subiecto, nam quatenus oritur ab eo ut à causa efficiente, eatenus est per se quarto modo, quatenus autem ab eodem subiecto nascitur ut à materia externa, eatenus per se est secundo modo, qui hoc discrimine à primo discrepat, quia ad primum pertinet materia interna eo modo, quo diximus, ad secundum autem pertinet materia externa. affirmat itaque D. Thomas, secundum modum fundari in materia externa, quæ reducitur ad genus causæ materialis, & cum suis proprietatibus nexum facit essentialem. Nonnulli contra tantum uirum insurgunt, ac dicunt, eum absq; ullo dubio hac in re falsum esse, quia si sola pendentia accidentis proprij à subiecto ut à mate-
B ria externa facit essentialem connexum, & secundum modum dicendi per se constituit, sequitur, omne accidens, etiam commune, de subiecto prædicari secundo modo dicendi per se, quoniam non minus accidens commune, quàm proprium à subiecto pendet tamquam à materia externa, neq; apparet cur subiectum magis dicatur materia accidentis proprij, quàm communis; itaque si duas has inter se conferamus propositiones, homo est risibilis, & homo est albus, eo tantum discrimine different, quia illa erit per se duobus modis simul, secundo, & quarto; hæc uero secundo solum, non quarto, quod est manifeste falsum, & negatum ab Aristotele, qui accidentia communia dixit prædicari de subiecto per accidens, non per se, & ab eis uoluit constitui modum prædicandi ex accidenti, qui ex aduerso respondet primo, ac secundo modis dicendi per se. præterea, statuit Aristoteles propriam esse, ac præcipuã secundi modi conditionẽ, non quarti, ut subiectũ ponatur in definitione prædicati, ergo quidquid in causa est ut prædica-
C tũ sumat in sua definitione subiectum, illud omne ad secundum modũ pertinere dicendũ est, non ad quartum; quid igitur in causa est, ut risibile sumat in sua definitione hominem subiectum? nón ne quia homo est illius accidentis causa? utique, sed quænam causa? materia ne, an effectrix? si materia, ergo etiam album sumet in sua definitione hominẽ, eadem .n. ratio uiget, cum subiectũ sit materia externa ẽt ratione accidentis cõmunis, quare etiam accidens commune inerit in subiecto per se, quod quidem nemo afferret; si effectrix, ergo hæc facit ut subiectum sumatur in definitione accidentis, proinde secundum modum constituit, non quartum, alia namque pendentia à subiecto præter eas duas non remanet, ut etiam D. Thomas fatetur, ergo pendentia à subiecto ut à causa effectrice ad secundum modum pertinet, quia sine hac non seruatur propria illius modi conditio, ut, scilicet, subiectum sumatur in definitione prædicati. Confutata D. Thomæ opinione, dicunt, eum in hoc recte sensisse, quia putauit duobus
D tantum modis accidens proprium à subiecto pendere, sed in eo deceptum esse, quoniam dixit, alteram pendentiam constituere secundum modum, alteram uero quartum, nam utramq; ad secundum modum pertinere,

neutram ad quartum constanter asseuerant; idq; Aristotelem ipsum significasse A affirmant per duas illas secundi modi conditiones, quæ antea declaratæ fuerūt, quoniam enim subiectum est materia externa accidentis, ideo dixit, prædicatū in subiecto propositionis extra animum inexistere, hæc tamen conditio non est propria secundi modi dicendi per se, cum competat etiam prædicationi ex accidenti; quoniam uero idem subiectum est etiam causa effectrix eiusdem accidētis prædicati, ideo dixit, subiectum sumi in definitione prædicati, quæ est propria secundi modi conditio, quam si ab eo auferamus, & quarto modo tribuamus, nulla secundo modo remanebit propria conditio, qua a reliquis modis distinguatur.

A prædictis obiectionibus D. Thomas defenditur.

CAP. XIIII. B

SI uerba D. Thomæ recte intelligantur, tantum abest ut hac in re deceptus sit, ut potius ueritatem sit maxime assecutus, dum enim dicit, accidens propriū fluere a subiecto, non excludit causam efficientem, quoniam per subiectum intelligit materiam in qua, idest, subiectum ex materia, & forma compositum, quæ quidem forma est etiam causa efficiens proprietatum eiusdem subiecti, ut patet de homine, qui compositus ex materia, & forma, dicitur subiectum, de quo accidens proprium per se prædicatur, nempe, risibile esse; accidentaliter uero accidens commune, uidelicet, album esse, quoniam illud speciei, hoc autem indiuidui principia sequitur; quando igitur D. Doctor inquit, accidens proprium pendere a subiecto, sensus eius dicti est, accidens proprium fluere ab efficiente in materia; quando uero ait, illud pendere ab eodem subiecto ut a causa efficiente, non intelligit subiectum compositum, sed solam subiecti formam, quæ (ut diximus) proprietatum effectrix est, quia homo sumptus pro forma solum, est etiam effectrix risibilitatis. Cum itaque subiectum, uidelicet, homo, ratione suarū proprietatū possit capi duobus modis, uel pro cōposito ex materia, & forma, uel pro forma tantum, quod perinde est, ac si dicatur, uel pro efficiente in materia, uel pro efficiente absq; materia; hinc est, ut D. Thomas dixerit, accidēs proprium pendere a subiecto in duplici genere causæ, materialis scilicet, & efficientis, licet re uera sit una pendentia, uidelicet, a forma, quæ iuncta materiæ ex qua facit in ordine ad specificas proprietates unum causæ genus, quod materia externa, seu materia in qua nuncupatur, ad genusq; causæ materialis reducitur; separata uero a materia facit aliud causæ genus, qd efficiēs appellatur. Si itaque accipiatur hoc subiectū proprie, idest, pro cōposito ex materia, & forma substātiali, fundat secūdum modum dicendi p se ratione propriorum accidētiū, quæ essentialia subiecti principia sequuntur, & cum subiecto conuertuntur, ut postulat secundus ille modus, non autem ratione accidentium communium, quæ nec,

A eſsentialia ſubiecti principia ſequuntur,nec cum ſubiecto reciprocantur, ſed ſolum ab eius complexione fluunt; ſi uero accipiatur ſubiectum pro forma ſolũ, quæ ratione proprietatum eſt(ut diximus) cauſa efficiens, conſtituit quartũ modum,non in concluſione,ut uidetur uelle . D. Doctor, quia ibi conſideratur ut compoſitum,ſeu ut efficiens in materia,& proinde conſtituit ſecundum modũ, ſed in maiori propoſitione,quod inferius aliqua probabilitate (niſi fallimur) cõtra communem opinionem explicabimus. hac poſita .D.Thomæ uerborum intelligentia,ad rationes in oppoſitum formaliter reſpondemus , & primo ad primam, negando conſequentiam,ut ſcilicet omne accidens, etiam commune, de ſubiecto prædicetur per ſe ſecundo modo. Ad probationem,concedimus,oĩa accidẽtia deriuari à ſubiecto tamquã à materia externa,ſed deriuatio non eſt oĩbus eadẽ, nã propria deriuãtur à ſubiecto per ſe,communia uero per accidens, ſicuti ſubiectum eſt propriorum externa materia per ſe,communium uero per accidens. ex quo patet,ut alio diſcrimine differant illæ duæ inter ſe collatæ propoſitiones,uidelicet, homo eſt riſibilis,& homo eſt albus; differunt quidem,quoniã prædicatum primæ per ſe conuertibiliter de ſubiecto dicitur,& ab eo eſsentialiter emanat,hinc optime propoſitio illa ponitur in ſecundo modo dicendi per ſe; prædicatum uero ſecundæ per accidens de ſubiecto non conuertibiliter affirmatur,

B & cum eo nexum eſſentialem non habet,hinc falſo dicitur, eam eſse in ſecundo modo dicendi perſe, cum nullo pacto ſit per ſe , ut apparet per ea, quæ diximus ſub capitis initium,& ex diuerſis reſponſionibus,quæ ad illas dari ſolẽt; ſi quis enim interrogaret nos, quare homo eſt riſibilis, & quare homo eſt albus? Ad primam reſponderemus, quia homo,ergo riſibile per ſe ineſt homini, in diuerſis tamen modis,prout ex mente.D.Thomæ diuerſimode accipitur homo,ſi enim accipiatur pro compoſito ex materia,&forma,inerit ei in ſecundo modo, ſi uero ſumatur pro forma tantum, inerit in quarto . Ad ſecundam reſponderemus,quia Socrates eſt albus, ergo accidit homini ut ſit albus , non autem ut ſit riſibilis ; ſi itaque propoſitio illa,homo eſt albus,non eſt per ſe,non erit etiam in ſecundo modo,cum deſtructo magis uniuerſali, deſtruatur quoq; minus uniuerſale. Ad ſecundam uero rationem reſpondentes,concedimus ex mente philoſophi,propriam eſſe,ac præcipuam ſecundi modi conditionem,non quarti,ut ſubie

C ctum ponatur in prædicati definitione, quando ſcilicet ſubiectum ſumitur pro materia in qua,& in prædicati definitione ponitur ut differentia, at quando accipitur ſolum pro forma ſubiecti, ut tamen eſt paſsionis cauſa effectrix ,&in prædicati definitione tanquam externa cauſa ponitur,quarti modi conditio eſt, ut infra à nobis copioſe declarabitur, quando examinabimus in quo modo dicendi per ſe ſit maior propoſitio potiſsimæ demonſtrationis, non rectè igitur (quantũ coniicere poſsumus)inferre uidentur,ergo quidquid in cauſa eſt,ut prædicatum ſumat in ſua definitione ſubiectum, illud omne ad ſecundum modum pertinere dicẽdũ eſt, nõ ad quartum.Quando uero ad id probandum ſubdunt,quid igitur

D in cauſa eſt,ut riſibile ſumat in ſua definitione hominem ſubiectum ? Reſpondemus cum illis , quia homo illius accidentis cauſa eſt; quando poſtea quærunt,

quænam causa sit homo suarum proprietatum, respondetur pro D. Thoma, uel ut tantum effectrix, uel ut efficiens in materia; ut tantum effectrix, si accipiatur homo solum pro forma substantiali, quæ ut effectrix propriarum passionum, à materiaq; seiuncta efficit quartum, non secundum modum, ut inferius apparebit, quamuis enim hæc effectrix causa faciat ut subiectum sumatur in accidentis proprii definitione, non sequitur, ut proinde secundum modum constituat, nisi quando est annexa materiæ, cum ex duabus subiecti partibus sola forma in causa sit, ut totum subiectum sumatur in definitione propriorum accidentium; ut uero efficiens in materia, si accipiatur homo pro toto subiecto, ex hoc tamen non sequitur quod illi inferunt, ergo etiam album sumet in sua definitione hominem, quia non eodem modo eadem uiget ratio, ut supra dictum est; non fuit igitur deceptus. D. Thomas quando dixit, alteram pendentiam accidentis proprii à subiecto constituere secundum modū, alteram uero quartū. Quod demum ad Aristotelis confirmationem spectat, B ab eo nihil aliud loco citato habemus, nisi efficiens in materia constituere secundum modum dicendi per se, idest, subiectum actu existens, quod nihil aliud est, quàm efficiēs in materia, sumi in definitione prædicati, quam conditionem fatemur esse propriam secundi modi, nec ab eo illam auferimus, & quarto tribuimus eadem ratione, alioquin nulla propria conditio secundo modo remaneret, qua à reliquis distingueretur, sed eam utrique modo diuersa tamen ratione adaptamus, in secundo enim ex mente philosophi dicimus subiectum propositionis, & rei, quod est efficiens in materia, seu subiectum ex materia, & forma compositū sumi in definitione accidentis proprii ut differentiam, & propterea ut eius partem essentialem, in quarto uero subiectum propositionis solum, quod est altera pars compositi, uidelicet, forma subiecti, sumi in definitione eiusdem accidentis proprii ut propter quid, & causam extra ueram eius essentiam, unde patet, hos duos modos non confundi, ut infra declarabitur. Ex iis igitur, quæ hucusque dicta sunt, colligitur, quæcumque non sunt prædicata uel primi, uel secundi modi dicendi per se, accidentia esse in hunc sensum, quatenus scilicet à primo, & à secundo modo distinguuntur, ut gratia exempli, animal est musicum, seu, animal est album; nam musicum, & album, quæ sunt prædicata, non ponuntur in definitione animalis, quod est subiectum, hinc patet, propositiones illas non esse in primo modo dicendi per se, neque etiam esse in secundo, quia subiectum non ponitur in definitione prædicati, idest, animal non ponitur neq; in musici, neque in albi definitione. C

De tertio, & quarto modis per se.

CAP. XV.

Explicatis duobus modis per se, primo scilicet, & secundo, reliquos aggredimur, & primo tertium; quem dicimus non efficere prædicationem, in eo enim ex sententia philosophi id collocatur, quod de subiecto non dicitur, ut substantia prima, quæ de subiecto non prædicatur; quare nec substantiæ secundæ, D

A neque ulla accidentia sunt in hoc tertio modo, nam de substantiis secundis, & universalibus accidentibus clarissimum est, cum de subiecto, idest, de sibi inferiori prædicentur, est etiam manifestum de singularibus accidentibus, quæ licet uniuoca prædicatione de subiecto, idest, de sibi inferiori non prædicentur, quod requirit prædicatio uniuoca, prædicantur tamen de subiecto, idest, de substantia prima denominatiua prædicatione, quæ est, quando forma accidentalis, seu inhærens, externa, uel interna de subiecto prædicatur, ueluti quando dicimus, Socrates est albus, risibilis, & huiusmodi. quæ quidem igitur de subiecto non dicuntur, sunt per se in tertio modo, quæ uero de subiecto dicuntur, accidentia sunt, non ut uere accidentia sint ea omnia, quæ de subiecto dicuntur, alioquin substantiæ secundæ essent accidentia, quod falsum est, sed dicuntur esse accidentia, quatenus ab iis contradistinguuntur, quæ sunt per se in hoc tertio modo, de quo in præsentia hæc sufficiant, cum satis, superque de eo in capite decimo disputatum fuerit. Habita eorum cognitione, quæ ad tertium modum spectant, ad quartum, & ultimũ explicandum accedimus, asserentes, eum esse, in quo ponuntur causæ extrinsecæ ratione essentiæ eorum effectuum, quos producunt, ut patet de animali rationali, & terræ interpositione, quæ dicuntur esse extra essentiam risibilitatis, & eclipsis; hæ autem extrinsecæ causæ sunt efficiens, & finalis, quæ causa efficiens duplex est;

B una uera, altera non uera, causa efficiens uera ea est, quæ non semper est effectui annexa, ut uidere est de statuario ratione statuæ; non uera autem est, quæ semper cum effectu sub qualibet temporis differentia est coniuncta, talique nomine nuncupatur, non quia sit falsa, sed quoniam recedit à natura causæ efficientis ueræ, ut manifestum est de animali rationali respectu risibilitatis, nec non de terræ interpositione respectu Lunæ defectus, nam posito animali rationali, terræque interpositione, ponitur risibilitas, atque Lunæ defectus, & è contra; nec non remoto animali rationali, terræque interpositione, remouetur risibilitas, ac Lunæ defectus, & è conuerso. hæc non uera causa efficiens considerata ut efficiens, uel sit cum effectu, quem producit, eadem subiecto, atq; ideo interna, ut animal rationale cum risibilitate in homine, uel sit subiecto diuersa ab eo, idest, subiecto separata, & propterea externa, ut terræ interpositio cum Lunæ defectu, nunquam amittit naturam causæ efficientis, proinde non secus, ac uera, ponitur in quarto modo,

C qui licet à primo, secundoque distinguatur, quoniam primus principaliter (ut dictum est) fundatur in causa formali, consequenter autem in causa materiali ex qua; secundus in causa materiali in qua; ipse uero in causa efficiente, quæcunque illa fuerit, ac finali, ad utrumq; tamen reducibilis est, ut infra apparebit. nec sententiæ nostræ repugnat Auerrois auctoritas in primo Post: Com: trigesimo quarto, ubi uidetur uelle, ab efficiente interno constitui secundum modum, ab eo enim nihil aliud habemus, nisi efficiens internum una cum materia ex qua secundum modum constituere, quod etiam nos concedimus, efficiens autem internum, ut consideratur sine materia ex qua, quem modum dicendi per se con-

D stituat, non habetur in illo Commento. an uero in demonstratione potissima ... detur huiusmodi internum efficiens sine materia ex qua consideratum, inferius

aperiemus; nunc satis sit, ut omnes causæ efficientes per se in hoc quarto modo sint illæ, à quibus prouenit effectus, ut gratia exempli, statuarius dicitur esse per A se causa efficiens statuæ, & animal rationale risibilitatis, cum à statuario statua, & ab animali rationali proueniat risibilitas. causæ uero per accidens his per se causis respondentes sunt illæ, à quibus effectus non prouenit, ut policletus, homo, animal, album, musicum, & similia, cum ab eis statua non proueniat, nec risibile ab albo, musico, calido, frigido, & huiusmodi, sed illa statuario, & hæc animali rationali accidunt. Aristoteles in causis per se exemplificauit de iugulato, qui iugulatione perit, in causis uero per accidens de ambulante, & coruscatione, accidit enim ut aliquo ambulante coruscauerit, non autem ut iugulatus iugulatione intereat.

Declaratur contextus decimus primi libri Posteriorum. B

CAP. XVI.

QVoniam non omnes modi prædicandi per se potissimam demonstrationem ingrediuntur, munus philosophi erat post enumerationem eos eligere, qui huiusmodi demonstrationi conueniunt, quod præstat Aristoteles in decimo contextu primi Posteriorum, quem non erit ab re pro instituti nostri ratione sic in præsentia interpretabimur. inquit ibi philosophus, (Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, ut insint prædicatis, aut illa insint subiectis, & per ipsa sunt, & ex necessitate.) per quæ uerba uidetur innuere, non sat esse, ut ea per se, quæ inseruiunt potissimæ demonstrationi, sint solum per se, idest, habeant duntaxat nexum causæ, & causati, quia omnia prædicata per se eo modo, quo determinata sunt per se ab Aristotele, eum habent, sed ut etiam sint ex necessitate, idest, C ut habeant nexum illum necessarium. per simpliciter scibilia non intelligit solũ conclusiones, ut D. Thomas uidetur affirmare, neque tantum propositiones, ut asserit Ioannes grammaticus, sed totam simpliciter demonstrationem, quod .n. simpliciter scimus, per simpliciter demonstrationem scimus; sensus itaq; uerborum philosophi huiusmodi est. quæ sumuntur in potissimis demonstrationibus per se sic, idest, hunc in modum, ut, scilicet, subiecta insint prædicatis, hoc est, ut subiecta habeant essentiam à prædicatis, ex quo oritur primus modus, in primo enim modo definitum, quod est subiectum, habet ut sit à tota definitione, uel ab eius partibus, quæ sunt prædicatum, ut homo ab animali rationali habet essentiam, ab animali inchoatiue, completiue autem a rationali differentia; aut illa scilicet prædicata insint subiectis, idest, habeant essentiam à subiectis, ut risibile ab homine, & ab animali rationali, ex quo non solum secundus, uerum etiã D quartus modus efficitur, non tamen semper, sed solum quando causa efficiens nõ uera adest, cum ipsa ponatur in suorum effectuum definitionibus; hæc (inquam) per se, quæ potissimis demonstrationibus accommodantur, per se sunt, idest, ha

A bent nexum causæ, & causati, & ex necessitate, hoc est, habent nexum illum necessarium. prædicata in his modis per se habere nexum causæ, & causati necessarium, probat statim philosophus dum ait (non enim contingunt non inesse, aut simpliciter, aut opposita, ut lineæ rectum, aut curuum, & numero impar, aut par.) ratio hunc in modum formetur, Quidquid non contingit non inesse, aut simpliciter, aut opposita, necessario inest, sed prædicata dictorum modorum per se non contingunt non inesse, aut simpliciter, aut opposita, ergo prædicata dictorũ modorũ p se necessario insunt. maior ueritatem habet eo quia Aristoteles in secundo libro Perihermenias capite quarto præcipit, ut propositionem de modo possibili & contingenti negatam de modo & dicto sequatur propositio de modo impossibili affirmata de modo, & negata de dicto, quam sequatur propositio de modo necessario affirmata de utroque, quare ex eius sententia dici potest, non possibile est non esse, non contingens est non esse, impossibile est non esse, necessarium est esse, ergo de primo ad ultimum, quidquid non contingit nõ inesse aut simpliciter, aut opposita, necessario inest. per simpliciter prædicata intelligit ea, quæ unica dictione proferuntur tam in primo, quàm in secundo modo dicendi per se, ut animal, risibile, & similia; per opposita uero intelligit ea, quæ oppositis dictionibus pronunciantur, ut rectũ, aut curuũ simul, nec non simul par, aut impar. minor, quæ ponitur in contextu, primum exemplis declaratur, non quo ad simpliciter prædicata tam primi, quàm secundi modi, quia omnes uno ore fatentur, non contingere ea non inesse subiecto, sed quo ad prædicata secundi modi, quæ oppositis dictionibus proferuntur, licet enim sint per se, non uidentur tamen subiectis suis inesse necessario, cũ possint subiecta permanere sub utroque opposito seiunctim accepto, ut linea sub recto, & curuo, nec non numerus sub pari, & impari, cuius rei ratio est, quoniam non sunt uera subiecta, sed eorũ C genera, non enim linea est uerum subiectum recti, alioquin omnis linea esset recta, nec uerum curui subiectum, alioquin omnis linea esset curua, similiter dicendum est de numero: sed linea est genus ad uerum recti subiectum, & ad uerum subiectum curui, numerus quoque genus est ad uerum paris, & ad uerum imparis subiectum. Si itaq; linea potest esse curua, non inest ei ex necessitate rectum, & si potest esse recta, ei necessario curuum non inest, eodem modo se res habet de numero ratione paris, & imparis; at si coniunctim cum particula disiunctiua hæc contraria accipiantur, non contingunt non inesse subiecto, idest, necessario insunt subiecto, propterea quòd ex illis unum efficitur proprium. Minor propositio, quæ exemplis declarata fuit, ratione quoq; probatur in statim subsequentibus uerbis, (est enim contrarium, aut priuatio, aut contradictio in eodem genere, ut par, quod non impar in numeris, inquantum sequitur.) pro intelligentia huius probationis Iuniores memoria repetere debent quæ dicta sunt ab Aristotele in postprædicamentis capite de oppositis, ubi affirmat, oppositionem contrariorum medio carentium similem esse priuatiuæ, & contradictoriæ oppositioni, sicuti enim in oppositione priuatiua seruatis eius conditionibus, & in oppositione contradictoria oppositorum alterum necessario inest subiecto, ita in opposi-

tione

tione contrariorum, quæ medio carent; cuius rei ratio eſt, quia eorum alterum
non ſolum eſt alteri contrarium, ſed etiam gerit uicem ſui contradictorii, ut ui
dere eſt de pari, & impari, nec non de recto, & curuo, nam par non ſolum eſt im A
pari contrarium, & rectum curuo, ſed etiam contradictorium, idem enim ualent
par, & non impar in numeris, nec non rectum, & non curuum in lineis, quamob
rem Ariſtoteles in textu dixit, (ut par, quod non impar in numeris, inquantum
ſequitur,) ideſt, certe conſequitur in numeris par, quod non impar, ſeu, in nume-
ris idem certe ſignificant par, & non impar; ſicuti igitur contradictoria ſunt im
par, non impar, curuum, & non curuum, ita par, & impar, nec non rectum, & cur-
uum. his poſitis, dicit philoſophus, illa per ſe, quæ prædicantur per oppoſita, ideſt,
per contraria medio carentia, ut patet exemplis in contextu poſitis, non contin
gere non ineſse ſubiecto, quia contrarium eſt aut priuatio, aut contradictio in
eodem genere, ideſt, in eodem ſubiecto. inuento medio, minor illa propoſitio hoc
ſyllogiſmo concludi poteſt, quidquid eſt aut priuatio, aut contradictio in eodē
genere, non contingit non ineſse ſubiecto, ſed contrarium immediatum eſt aut
priuatio, aut contradictio in eodem genere. ergo contrarium immediatum nō B
contingit non ineſse ſubiecto; quo poſito ſyllogiſmo, proſyllogiſmo utendum
eſt ſic, contraria immediata non contingunt non ineſse ſubiecto, ut probatum
eſt, ſed illa per ſe, quæ prædicantur per oppoſita, ſunt contraria immediata, ut e-
xempla indicare uidentur, ergo illa per ſe, quæ prædicantur per oppoſita, non
contingunt non ineſse ſubiecto. probata minore illa propoſitione, ex dictis hāc
concluſionem philoſophus colligit, (quare ſi neceſſe aſſerere, aut negare, neceſſe
eſt per ſe ineſse.) quorum uerborum ſenſus eſt, ſi de quolibet neceſſe eſt ut uel af
firmatio, uel negatio ſit uera, ita uerum eſt, ut ea per ſe, quæ prædicantur per op-
poſita, neceſsario inſint ſubiecto. clare itaque patet ex noſtra interpretatione,
quæ communis eſt, ſelectionem fieri ab Ariſtotele in hoc decimo contextu eo-
rum modorum per ſe, qui potiſsimam demonſtrationem ingrediuntur, quoniā
non omnes hoc munere funguntur ut eam ingrediantur, ſed illi ſolum, quorum
nexus cauſæ & cauſati eſt neceſsarius, ſeu definitiuus, hi autem ſunt, primus, ſecū C
dus, & quartus, qui cum primo, & ſecundo concurrit, quando accipitur cauſa ef
ficiens non uera, hæc enim ſiue prædicetur de cauſato, ſiue cauſato ſubiiciatur,
ſemper ponitur in tota eſsentiali definitione cauſati, ut infra declarabitur, non
autem quando ſumitur cauſa efficiens uera, quia tunc quartus modus in huiuſ-
modi cauſa fundatus non poſset concurrere nec cum primo, nec cum ſecundo
modo dicendi per ſe, idcirco non eſſet utilis prædictæ demonſtrationi; & quam-
uis huiuſcemodi cauſæ efficientes effectum non concomitantes ſint iis multo
plures, quæ ſemper effectui ſunt annexæ, non eſt tamen aſſertiue dicendum, Ari-
ſtotelem in declarandis modis dicendi per ſe. utilibus in decimo contextu de
quarto abſolute nullam mentionem feciſſe, quia & ſi uerum eſt de
cauſa efficiente uera, eſt tamen falſum de cauſa efficiente D
non uera, ut clarius apparebit in capite
octauo quarti libri.

A *Ex aliorum sententia impugnatur communis interpretatio super decimo contextu primi posteriorum sub initium, eaq; defenditur.*

CAP. XVII.

COmmunis interpretatio, quam nos secuti sumus in explicatione eorum uerborum, quæ sub initiũ decimi cõtextus leguntur, uidelicet, (Quæ igitur dicũtur in simpliciter scibilibus per se sic, ut insint prædicatis, aut illa insint subiectis, & per ipsa sunt, & ex necessitate,) hæc est, illa, quæ sunt per se aut primo, aut secundo modo, & per se sunt, & necessaria. quam interpretationẽ nonnulli impugnãt, eo quia in ea est nugatio manifesta, cum idem de se ipso prædicetur, dum dicitur, quæ sunt per se sunt per se, cuius erroris in causa fuit praua græcorum uerbo-
B rũ in latinũ sermonẽ conuersio, ubi n. Aristoteles ait (δι' αὐτὰ τέ ἐστι, καὶ ἐξ ἀνάγκης) non bene dicitur latine (& per ipsa sunt,) sed dicendum est (propter ipsa) id enim occasionẽ dedit existimandi, uerba illa (per ipsa) significare per se; sed clarum est, eam præpositionem (διὰ) ibi significare, propter, ut eandẽ acceperat Aristoteles in contextu præcedenti loquens de quarto modo dicendi per se, dixerat enim, (quod propter ipsum inest unicuique, est per se, quod uero non propter ipsum, accidens,) ubi dictio illa, propter, significauit causam, nam sensus fuit, quando terminorum alter alterius causa est, dicitur esse per se, sed quando neuter est causa, ex accidenti esse dicitur; quare etiam in principio sequentis contextus eadem dictio significat causam, ut etiam ipse illorum textuum connexus omnino requirit; nam scopus Aristotelis in illa enumeratione modorum dicendi per se nullus alius fuit, quàm inuenire propositiones summe necessarias, ergo, modis illis omnibus expositis, debuit docere qui nam modi necessitatem habeant, & qui
C non habeant, & illos quidem accipere, hos autem dimittere, quod quidem facit in illo contextu decimo secundum sectionem ueterem, cum enim in quarto modo dicendi per se dixisset inesse causam, & id, quod est propter ipsum, statim subiungit, duos priores modos dicendi per se non modo significare causam, sed etiam habere necessitatem, ut sensus sit, illa quidem, quæ dicuntur per se quarto modo, propter ipsa sunt, sed necessitatem prædicationis non habent; illa uero, quæ dicuntur per se primo, uel secundo modo, & propter ipsa sunt, & necessaria; illis igitur solis duobus modis necessitatem tribuit, & alios reiicit. ut communis interpretationis defensio facilius percipi possit, animaduertendum est, non esse nugationem, quando genus de speciebus, uel multiplex aliqua uox de suis significatis prædicatur, quia tunc cõmunius de minus cõmuni prædicatur, bona .n. prædicatio est, quãdo dicitur, animal rationale est animal, uel, canis latrabilis est canis, quia in plus se habet aĩal, quàm aĩal rationale, & canis, quàm canis latra-
D bilis. hoc posito, dicimus, in cõmuni illa interpretatione nullã esse nugationẽ, quia non ait, quæ sunt per se esse per se, ut ei imponitur, sed asserit, quæ sunt sic per se

ut insint prædicatis,aut illa sint in subiectis,& per ipsa esse, idest,& per se esse, & ex necessitate, quæ communis interpretatio nihil aliud innuere uidetur, nisi ut ea, quæ sunt per se uel in primo,uel in secundo modo, addimus nos, uel in quarto reducibili ad primum , & secundum, & per se sint, & ex necessitate , in qua A prædicatione non idem de se ipso , sed uox multiplex de aliquibus suis significatis,& propterea communius de minus communi prædicatur, quare tantū abest, ut in ea sit nugatio,ut potius sit bona,& naturalis prædicatio, cum in subiecto illius propositionis sit (per se) contractum, & in prædicato communiter acceptum. Quatenus uero ad id,quod aiunt, non debere latine legi,per ipsa,sed propter ipsa,quia clarum est,eam præpositionem (διὰ) in illis uerbis significare(propter,) ut eandem acceperat Aristoteles in contextu præcedenti , sed ibi dictio illa significauit causam.nam sensus fuit,quando terminorum alter alterius causa est,dicitur esse per se,sed quando neuter est causa,ex accidenti esse dicitur,quare etiam in principio huius decimi contextus eadem dictio significat causam; non uidetur mihi ratio adeo ualida , quoniam cum dicitur (per ipsa, seu, per se) ut affirmat communis interpretatio,significatur etiam,terminorum alterum alterius causam esse,propterea quòd in omnibus significatis ipsius (per se) est nexus causæ,& causati.hunc itaq; sensum communis interpretatio habere uidetur, B ea scilicet, quæ sunt per se sic , ut insint prædicatis, aut illa sint in subiectis quibus uerbis comprætendit philosophus primum,secundum , & quartum modū, non totum,sed eius partem,nimirum,quando causa efficiens est semper annexa causato) , & per se esse,idest,habere nexum causæ, & causati,atq; ex necessitate, hoc est,habere nexum illum necessarium, ratione cuius excluditur à potissima demonstratione quartus modus, quando , scilicet , sumitur causa efficiens uera, quæ non est semper coniuncta cum causato, in quibus modis per se non sine artificio progressus est philosophus, ut denotaret,diuersum in illis esse huiuscemodi nexum causæ,& causati,nam de primo dixit,prædicata esse de quiditate subiecti, quia in illo est nexus causæ formalis,& causati principaliter , consequenter autem causæ materialis ex qua; de secundo , subiecta esse de essentia prædicati, quoniam in eo est nexus causæ materialis in qua,&causati; de quarto uero,quod C quidem propter ipsum inest unicuiq; , per se dico, propterea quòd in eo est nexus causæ externæ,& causati ; quare optime philosophus apposuit ibi præpositionem illam (διὰ) dum dicit,)Ἔτι δ' ἄλλον τρόπον,τὸ μὲν δι' αὐτὸ ὑπάρχον ἑκάστῳ,καθ' αὑτό,(& quæ sequuntur,)idest,item alio modo,quod quidem propter ipsum inest unicuique,per se,&cætera,nam dictio illa(propter) ut plurimum denotat causam efficientem,& finalem, ut propter terræ interpositionem fit priuatio luminis solis in luna, propter animal rationale est aptitudo hominis ad ridēdum,propter filium pater amat præceptorem,& huiusmodi. Si igitur in principio huius decimi contextus debet accipi præpositio illa(διὰ) sicuti sumpta fuit in calce noni,& ibi (ut omnibus clarum est)sumpta fuit,ut significat causam efficientem,& finalem,sequitur etiam hic eam accipi,ut significat huiusmodi causas , quando D igitur philosophus ait,(Quæ sunt per se sic,ut insint prædicatis, aut illa sint in

subiectis, propter ipsaq; sunt, & ex necessitate,) sensus illorum uerborum esser,
A primum,& secundum modum,non secus ac quartum,habere nexum causæ efficientis,ac finalis,& causati,quod non uidetur cum ueritate conuenire.quare fortasse melius dici posset, Aristotelem in principio huius decimi contextus accipere (διὰ) pro (κατὰ), ut (δι αὑτὰ) pro (καθ' αὑτὰ) idest, propter ipsa, pro, per ipsa,seu pro per se, ut ferè omnes communiter interpretantur, cuius interpretationis auxilio,& eorum uerborum sēsus,& scopus optime colligitur contra illorum sententiam, qui asserunt, eorū uerborum neque sensum,neque scopum ab aliquo hactenus plene intellectum fuisse. (διὰ) uero non solum cum casu generandi accipi pro(κατὰ), idest, significare (per) ,sed etiam cum casu accusandi,patet apud eosdem,qui conuertētes in latinum sermonem uerba illa philosophi in calce decimi noni contextus, uidelicet , (Δι' αὑτὸ ἄρα δεῖ καὶ τὸ μέσον τῷ τρίτῳ, καὶ τὸ πρῶτον τῷ μέσῳ ὑπάρχειν.) inquiunt , per se igitur oportet & medium tertio,&primum medio inesse. Ecce,eos accipere (δι' αὑτὸ) pro (καθ' αὑτὸ) . & hæc
B pro communis interpretationis tutela diximus , si quis tamen hac in re melius iudicauerit,approbare non uerebimur. Demum sumunt quod negligunt, nam si ex eorum sententia Aristoteles uult modos per se necessitatem habentes seligere à non habentibus,& in hoc decimo contextu probat modos per se potissimā demonstrationem ingredientes non solum habere nexum causæ, & causati,quæ conditio communis est omnibus modis per se prædicandi, sed etiam habere nexum illum necessarium , quæ conditio solum primo , & secundo modo dicendi per se conuenit ; & quarto non semper , sed quando cum illis concurrit , ergo in hoc decimo contextu modos demonstrationi utiles ab inutilibus seligit.

De tertia conditione ad necessarium essentiale requisita, uidelicet, de uniuersali posterioristico.

C

C A P. X V I I I.

EXplicata secunda conditione ad necessarium essentiale requisita , reliquum est,ut tertiam,& ultimam declaremus,uidelicet, prædicatum uniuersale, in quo posita est tota essentia potissimæ demonstrationis ; quare pro eius intelligētia aduertendum est,uniuersale in duplici differentia esse,unum pro prima intentione, alterum pro secunda. relicto uniuersali pro prima intentione , quæ ad Logicum non spectat nisi pro ut in ea fundatur secunda , accipimus uniuersale pro secunda intentione, quæ dicitur etiam ens rationis , & à Logico principaliter consideratur.Sed hoc uniuersale,cum sit multiplex, non æque in omnibus Logicæ partibus accipitur; ut igitur cognosci possit quænā sit illa uniuersalis significatio à posterioristico considerata , non erit ab re
D in medium afferre quæ sint huius uniuersalis significata in communi. dici-

mus itaq; uniuersale hoc Logicum sumi aliquando pro natura quadam communi nata apta de pluribus prædicari, de quo uniuersali egit Porphirius in prædicabilibus, & Aristoteles in libro perihermenias; uel accipi interdum pro signo distributiuo uniuersalitatis, quod solet appellari nota quantitatis, sicuti est, omne,& nullum, de quo egit philosophus in eodem libro perihermenias; demum sumi pro prædicato primo, idest, pro eo, quod dicit conuersionem prædicati cum subiecto,& hoc appellatur uniuersale posterioristicum, de quo uerba fecit philosophus in primo Posteriorum contextu undecimo, attribuens ei tres cōditiones, uidelicet, dictum de omni, per se, & secundum quod ipsum, ut earum ope illud separaret à quolibet alio Logici uniuersalis significato, ne intellectus addiscētium redderetur confusus, si ante eius diuisionem,cum multiplex sit,illud definiuisset; unde apud me aliquid difficultatis patitur communis interpretatio, ut, scilicet, duas prædicati uniuersalis definitiones in undecimo illo contextu philosophus posuerit absque eius distinctione ab aliis uniuersalis Logici significatis. distincto itaque uniuersali posterioristico à quolibet alio Logici uniuersalis significato, rationi consentaneum est, ut illud cum Aristotele definiamus, dicentes, (uniuersale posterioristicum esse tunc, quando in quolibet, & primo monstretur.) ex qua definitione elicitur, duas conditiones requiri ad prædicatum uniuersale posterioristicum, quarum prima est, ut conuertatur cum subiecto, nam si in quolibet est, apparet, illud non esse minus commune, quàm subiectum, prætérea, si primo monstratur, signum est, subiectum non esse minus commune,quàm prædicatum,patet itaque uniuersale posterioristicum dicere conuersionem prædicati cum subiecto. Secunda conditio est, ut de subiecto demonstretur, ex hoc tamen non sequitur, definitionem subiecti non esse prædicatum uniuersale, quamuis de subiecto non demonstretur, ut suo loco declarabimus, quia uniuersale, quod cum Aristotele definiuimus, est uniuersale conclusionis, hinc colligitur, ei duas istas conditiones requiri; at in principiis sat est, ut uniuersale dicat conuersionem prædicati cum subiecto, supponendo tamen semper prædicationem per se, quo circa manifestissime apparet, prædicationem generis uel de altera separatim, uel de utraque simul differentia diuidente non esse uniuersalem, quia neque genus de differentiis suis diuidentibus, neque huiusmodi differentiæ de genere prædicantur per se eo modo, quo determinatum est per se ex sententia philosophi in superioribus capitibus. sed aduertendum est, hæc tria, uidelicet, uniuersale, secundum quod ipsum, & primum, concurrere in unum, & idem, nam quod competit alicui secundum quod ipsum, competit etiam eidem uniuersaliter, & primo, ut gratia exempli, risibile competit homini secundum quod ipsum, ergo uniuersaliter, ac primo,& è conuerso,risibile cōpetit homini primo, ergo uniuersaliter,& secundū quod ipsum. Facta mentione de prædicato primo, non est silentio prætereundum, prædicatum primum dici tale duplici primitate,subiecti, scilicet, & causæ. primitas subiecti est, quando inter subiectum, & prædicatum non cadit aliud subiectum medium, cui primo competat illud prædicatum, ut quando di-

A B C D

cimus, homo est risibilis,hæc propositio dicitur habere prædicatum primum pri
A mitate subiecti,quia inter hominem,& risibile nō cadit aliud subiectum medium, idest, alia media natura completa, cui competat primo risibile, at quando dicimus, Socrates est risibilis, illa propositio non habet prædicatum primum primitate subiecti, quia inter Socratem, & risibile cadit aliud subiectum medium,scilicet, homo, cui primo competit risibile, deinde per hominem competit Socrati, & aliis indiuiduis sub homine contentis. Et hæc primitas competit subiecto conclusionis, quæ est in secundo modo dicendi per se, ex quo clare patet, contra Alexandri, & Themistii sententiam, esse prædicationem primam, & uniuersalem in secundo modo dicendi per se. primitas uero causæ est, quando inter causam, quæ est loco subiecti, & causatum accidentale, quod est loco prædicati, non cadit alia causa media, à qua prædicatum illud, uel causatum primo fluat, sicuti quando dicimus, animal rationale est risibile, hæc propositio habet prædicatum primum primitate causæ,quia inter animal rationale,& risibile non cadit alia cau
B sa media, à qua primo risibile fluat. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt de hac tertia conditione requisita necessario essentiali, colligitur, prædicationem generis de specie non esse uniuersalem, cum animal nec secundum quod ipsum, nec primo de homine prædicetur, non secundum quod ipsum, cum homo secundum quod homo non sit animal, alioquin non esset animal nisi homo, quod falsum est, nec demum primo, cum inter hominem, & animal cadat aliud subiectum medium, cui primo competit animal, uidelicet, aliquod animal, cuius ope disponitur homo ad recipiendam propriam, & sibi determinatam formam.

Ex aliorum sententia prædicationem generis de specie primam, & uniuersalem esse, probatur unica ratione, ad eamq́ nonnullorum responsio ponitur.

C *CAP. XIX.*

LIcet uerissimum,& ex mente Cōmentatoris, ac philosophi sit,genus non posse uniuersaliter,& secundum quod ipsū de specie prædicari, non desunt tamē qui pluribus rationibus oppositum probare nituntur,inter quas una solū efficacior in præsenti capite ponitur, quæ huiusmodi est. In hominis conceptu conceptus animalis essentialiter includitur,& in natura hominis natura animalis ut hominis essentiā constituens,ergo homo quatenus homo est animal,hoc enim negato, sequetur, hominem per aliquod externum esse animal, non per internā rationē, quod tamen falsum est. Nonnulli huic rationi respondentes, dicunt, duplicē esse significationē huius uocis (quatenus,) potest .n. sumi late,& satis improprie, potest ēt sumi stricte, quæ est propria eius significatio; late quidē,& ample sumitur,quando nil aliud significat, quàm internum principiū,seu internā rationē,pro
D inde exclusionē principii externi,& externæ rationis,in qua acceptione propositio hæc est uera,homo quatenus homo est animal,sic .n. nihil aliud significare uo

lumus, quàm hominē ex interna ratione esse animal, nō ex aliquo externo principio, quod quidē uerissimū est, quoniā homo ꝑ internā rationē est sentiens, & animal; in hoc igitur sensu Aduersariorū rationē concedendā esse fatentur. altera A eius uocis significatio maxime propria, ut ipsius uocabuli cōsideratio potest ostēdere, est, ut dicat, eandē esse utriusq; termini rationē, ut si dicamus, homo quatenus homo est risibilis, uera est hæc propositio ēt in secunda acceptione, qa significat, eandē esse rationē, qua homo est homo, & qua est risibilis, ꝑ propriā.n. formā habet homo ut sit homo, & ꝑ eandē habet ut sit risibilis, uere igitur homo quatenus homo est risibilis, quia ex eodē principio pēdet risibilitas, ex quo pēdet humanitas; sed hæc nō est uera, homo quatenus homo est animal, quia non ex eodē principio homo habet ut sit animal, ex quo habet ut sit homo, siquidē per sensū est animal, homo uero nō ꝑ sensū, sed per rationē; non igitur qua ratione ē homo, eadē est animal, sed alia, & alia ratione, itaq; homo non quatenus homo ē animal, quare secundū hanc propriā significationē Aduersariorū argumentū nō cōcludit contra philosophū, & cōmentatorē, qui in hac significatione acceperunt eā conditionē (quatenus ipsum.) hāc distinctionē ipsi, quādo Logicā publice interpretabātur, inuenerūt, eaq́ illis plenissime satisfecit, quāquā.n. apud nullū B aliū eā ante id tēpus legerāt, tamē uidebāt, ipsā tum rei, tum ēt uocabuli significationi mirifice consentaneam esse; postea uero eis contigit, ut eandem legerent apud Ioannem gandauensem in quæstione decima secundi Metaphysicorum, quod eos (ut aiunt) summa lætitia affecit, cum uiderent eruditum illum uirum sua auctoritate ipsorum sententiam comprobasse.

Adducta responsio confutatur, aliaq́, fortasse accommodatior in medium affertur. C A P. X X.

Distinctiones, quæ non sint desumptæ ab aliqua uel philosophi, uel grauissimorū peripateticorum auctoritate, uoluntariæ merito nuncupari possunt, cum in quouis homine quodlibet imaginari positum sit; inter quas locum habere uidetur posita distinctio de duplici huius uocis (quatenus) significatione, late, C scilicet, & satis improprie, uel stricte, & proprie; quoniam apud philosophum (ni fallor) secundum unam tantum, & illam propriam semper legitur, & præcipue cum res ipsa, & uocabuli significatio id mirifice postulent, nota enim reduplicationis in aliquo, nempe, in homine, dum dicitur, homo quatenus homo, & huiusmodi, non potest in eo denotare nisi illud principium, ratione cuius homo est homo, quod eius forma est, à qua sententia non uidetur recedere Ioannes gandauensis loco citato; nam existimantes eius Aduersarii non esse in animali plures formas substantiales distinctas, sed unam, & eandem dare esse uegetatiuum, & animal, id probabant auctoritate philosophi sub initium libri de iuuentute, & senectute, dicentis, (fieri enim nequit, ut animal, qua animal est, non uiuat.) si enim in animali una, & eadem forma non daret esse uegetatiuum, & animal, ex D necessitate animali, quatenus animal est, contra sententiam philosophi, non ines-

set uiuere, quod pro uegetari accipitur. respondens Gandauensis ad hanc diffi-
A cultatem, auctoritatem illam philosophi declarando, ait, animal secundum quod animal uiuere, dupliciter intelligi posse, uno modo, ut animal sit primum subiectum uitæ, & sic non intelligit Aristoteles, quia si hoc esset uerum, tunc quidquid uiueret, uiueret per animal, quia hoc dicit (secundum quod,) omnibus, scilicet, inesse per naturam eius, ut patet primo Posteriorum. alio modo intelligi posse, animal secundum quod animal uiuere, idest, ex necessitate uiuere, ita ut includat necessario principium, per quod uiuit animal, & sic est uerum, nam licet uegetatiua anima sit alia à sensitiua, tamen ex necessitate includitur in animali. Ecce, doctissimum Gandauensem accipere (secundum quod ipsum) semper eadem significatione, pro ut, scilicet, significat formam eius, cui applicatur, & hac de causa ait, duplicem habere sensum propositionem illam, quæ est, animal secundum quod est animal uiuit, unum, ut forma sensitiua, per quam animal est animal, supponat uegetatiuam,
B à qua prouenit uita, non autem è conuerso: alterum, ut eadem forma sensitiua, qua animal est animal, faciat animal subiectum primum uitæ; quare primo, non secundo sensu affirmat auctoritatem illam philosophi intelligi debere. hanc Gandauensis sententiam eandem esse cum sententia philosophi loco citato, indicant eiusdem philosophi uerba, dum inquit, (In hisce quidem, quibus utraque ista, esse animal (inquam) ac uiuere competunt, unam, & eandem esse partem necesse est, qua uiuunt, simul & animalis nuncupationem sortiuntur, fieri enim nequit, ut animal, qua animal est, non uiuat: at qua uiuit, hac esse animal, haud quaquam necesse est: neque enim idem est esse animal quod uiuere.) quorum uerborum sensus (quantum coniicere possum) huiusmodi est, illa, in quibus reperitur anima sensitiua, & uegetatiua, habent hoc, ut sensitiua supponat uegetatiuam, non autem è conuerso, hinc est, quod animal
C ea parte, qua est animal, uiuit, idest, forma sensitiua, per quam animal est animal, supponit uegetatiuam, à qua prouenit uita; è contra autem, uegetatiua non supponit sensitiuam, cum plantæ uiuant quidem, sensu uero careant. hunc Aristotelis locum si illi diligenter ponderassent, optime animaduertissent, ei duplicem illam significationem huius uocis (quatenus) accommodari non posse, nec ita facile dixissent, suam sententiam Ioannis gandauensis summæ eruditionis uiri auctoritate comprobatam fuisse, cum aliter ipse sentire uideatur. sed nunc concedamus huius uocis (quatenus) duplicem posse dari significationem, late, scilicet, & stricte, prima significatio non nullas patitur difficultates, quoniam explicandum erat, cuiusnam, prædicati, scilicet, an subiecti, internum illud principium, seu interna illa ratio significata ab hac uoce (quatenus) esset principium, uel ratio; si enim prædicati, ut gratia exempli, quando dicimus, homo quatenus homo est animal; idest, ho-
D mo ex interna ratione animalis est animal, sequeretur contra suppositum, ut homo non quatenus homo, sed quatenus sensitiuus esset animal; si uero subiecti,

subiecti, ut, scilicet, homo quatenus homo sit animal, idest, ut homo ex interna ratione hominis sit animal, tunc prima acceptio erat declaranda, quomodo, scilicet, homo quatenus homo possit esse animal, cum ex eodem principio non habeat ut sit animal, ex quo habet ut sit homo, sicuti declaratur à Gandauense quo modo animal quatenus animal uiuat, cum à diuersis principiis oriantur esse animal, & uiuere. non erat igitur ponenda duplex illa significatio huius uocis (quatenus) ut eius ui Aduersariorum rationi contra Aristotelis, & Auerrois positionem satisfacere possent, quoniam eo modo dissolui potest, quo dissoluitur illa à celeberrimo Gandauense, ut, scilicet, homo quatenus homo sit animal, potest duplicem habere sensum, unum, ut homo ex necessitate sit animal, quia forma hominis, nempe, rationalitas, qua homo est homo, supponit formam sensitiuam, qua animal est animal, non autem è conuerso, quoniam forma sensitiua non supponit rationalitatem, cum bruta animalia sensum habeant, ratione uero careant. alterum autem, ut homo sit primum subiectum, cui cõpetat animal. posito eius propositionis hoc duplici sensu, ad argumentum in oppositum responderi potest, illud concludere in primo sensu, secundum quem Aristoteles, & Auerroes illam propositionem in præsenti parte non intelligunt, in secundo uero sensu nequaquam, eo quia ex sententia Auerrois inter hominem, & animal cadit aliud subiectum medium, cui primo competit animal, uidelicet, aliquod animal, cuius ope (ut diximus in calce decimi noni capitis) disponitur homo ad recipiendam propriam, ac sibi determinatam formam; & ex mente philosophi in hac tertia conditione requisita necessario essentiali prædicatum conuertitur cum primo subiecto, ut patet de hac passione trianguli, uidelicet, habere tres angulos æquales duobus rectis, quæ quidem passio nec cum figura, nec cum æquicrure conuertitur, at solum cum triangulo, quia eius primum est subiectum, sed hoc non reperitur in genere quando de specie prædicatur.

A

B

Laus iterum, Honor, & Gloria Deo optimo Maximo, Qui Trinus, & Vnus est.


FINIS



A

BERNARDINI PETRELLAE
LOGICARVM DISPVTATIONVM
Liber Quartus.

B *De ea demonstrationis specie, quam potissimam appellant Auctoris institutum. CAP. I.*





V AE iam ab Aristotele disputata, atq; instituta sint, de dicto de omni, per se, & uniuersali, pro ut sunt conditiones necessario essentiali requisitae, superiore libro declarauimus, quem de locis propositionum demonstratiuarum appellandum esse nonnulli existimarunt, quādoquidem duo priores modi dicendi per se per tertiā conditionem, quae dicitur praedicatio uniuersalis, limati, atq; correcti, sunt loci, unde & conclusiones demon-
C strandae, & principia, per quae demonstrentur, tamquam è duobus promptissimis fontibus hauriantur; sic enim & conclusiones, & principia demonstrationis summam habebunt necessitatem. quam quidem opinionem non credimus esse ex mente philosophi, propterea quod ueluti aurifodina non est aurum, quamuis aurum habeat, sed est ab eo diuersa; ita principiorum, idest, mediorum, quae argumenta sunt, locos à principiis, mediis, seu argumentis esse diuersos compertū est. at dictum de omni posterioristicum, per se, & uniuersale sunt de essentia argumenti, idest, medii demonstratiui, cum medium non possit esse demonstratiuum, nisi sit uniuersale, atq; ideo per se, ac de omni, quae duae conditiones in tertia continentur, uidelicet, in uniuersali, cum ipsa tamquam minus communis cōtrahat ad se communiores, ergo duo illi priores modi dicendi per se per tertiam conditionem limati, atq; correcti minime possunt esse loci, unde & conclusiones demonstrandae, & principia, per quae demonstrentur tan
D quam è duobus (ut aunt) promptissimis fontibus hauriantur, alioquin locus esset de essentia argumenti, & aurifodina de essentia auri, quod non uidetur multum cum ueritate conuenire, at si aliqua sint, quae in posterioribus dici mereantur loci demonstratiui, à quibus argumenta demonstratiua

ſumi posſint exiſtimamus illa eſse, uidelicet, dignitates, poſtulata, definitiones, A
cauſam,& effectum, ex hoc tamen non ſequitur, locos haud eſſe ab argumentis diuerſos,cum argumenta alterius probationi adhibeantur,loci uero nequaquā, nam dignitas, definitio,& alia,quæ diximus eſse locos demonſtratiuos, ſi locorum nomen mereantur,alterius probationi non adhibentur,ſed hæc dignitas,ſeu hæc definitio,& ſic de reliquis. quare fortaſſe melius dici poſſet,ut,ſcilicet, dictū de omni poſterioriſticum,per ſe,& uniuerſale ſint conditiones neceſsario eſsentiali requiſitæ per quod eſsentiale neceſſarium principia, ſeu media potisſimæ demonſtrationis ſunt demonſtratiua. Declaratis itaque ſuperiore libro omnibus illis conditionibus, reliquum eſt accommodare eas demonſtrationis potisſimæ principiis,atq; concluſioni, ut inde manifeſtum reddatur,huiuſmodi demonſtrationem conſtare ex neceſſario eſsentiali,quod erat probandum. Et quamuis in ultima conditione inſint aliæ duæ, unde ſi probaretur, propoſitiones potisſimæ B
demonſtrationis eſse uniuerſales,eſset etiam probatum, eas eſse per ſe,& de omni,quia ſemper conditio minus communis contrahit ad ſe (ut diximus) conditionem magis communem; decreuimus tamen in iuniorum gratiam aperire, demonſtrationem potisſimam habere dictum de omni,per ſe, & uniuerſale.

Ponuntur omnes termini potisſimam demonſtrationem ingredientes.

CAP. II.

VT addiſcentes finem,quē ſummopere optant,facilius conſequantur, aduertere debent,demonſtrationem potisſimam ex parte formæ,quæ ſyllogiſmus eſt, habere tres terminos,maiorem,ſcilicet, extremitatem,minorem, & medium terminum. uerum quia demonſtratio eſt inſtrumentum, quod parit ſcientiam proprietatum,quæ ſpeciebus inſunt,ſcientiam uero eſsentiæ earum proprietatū C
minime, niſi quatenus huiuſmodi eſsentia ex demonſtratione ipſa elicitur, hinc eſt, ut maior extremitas debeat eſse propria pasſio, non pasſionis definitio eſsentialis, cuius rei ratio eſt, quia medium in potisſima demonſtratione eſt cauſalis definitio primi extremi, quare ſi eſsentialis definitio pasſionis per aliam eiuſdem pasſionis cauſalem definitionem demonſtraretur, neceſse eſſet, ut in maiori propoſitione prædicaretur eſsentialis definitio de cauſali, ſed propoſitio, in qua prædicatur definitio de definitione, non eſt per ſe nec in primo, nec in ſecundo modo, nec in quarto reducibili uel ad primum, uel ad ſecundum, circa quos modos uerſatur potisſima demonſtratio. ergo demonſtratio illa, in qua concluditur eſsentialis definitio pasſionis de pasſione per aliam eiuſdem pasſionis cauſalem definitionem, non poteſt eſse potisſima, ut, gratia exempli, propter animal rationale eſt aptitudo hominis ad ridendum, ſed riſibilitas eſt propter animal rationale, ergo riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridendum. huius demonſtrationis maiorem D

A propositionem, in qua prædicatur essentialis definitio de causali, non esse in primo modo, patet, quia in primo modo dicendi per se collocantur ea, quæ sunt de ratione dicente, hoc est hoc, quod non reperitur in maiore illa propositione, quia animal rationale nō est proprie, uerecꝙ aptitudo hominis ad ridendum, sed eius causa, & propter quid, quare sensus illius propositionis est, ut animal rationale sit causa, à qua fluit aptitudo hominis ad ridendum. præterea, in primo modo prædicatum est de quiditate subiecti, quod non reperitur in illa propositione, etiā si termini conuertantur, quia una definitio non est de quiditate alterius definitionis. non esse etiam in secundo modo manifestum est, quia animal rationale, quod est in ea subiectum, tantum abest, ut ponatur in essentiali definitione prædicati tanquam differentia, quod postulat secundus modus, ut potius definitionem illam non ingrediatur, quia essentiæ (ut dictum est) non potest esse alia B essentia, sed utique propter quid, & causa, à qua essentia illa emanat, sicuti est animal rationale respectu aptitudinis hominis ad ridendum. demum non esse in quarto modo reducibili uel ad primum, uel ad secundum, patet, quia nec prædicatum est de quiditate subiecti, ex quo nō reducitur ad primum, nec subiectum est de quiditate prædicati, quapropter non reducitur ad secundum. Erit itaq; in quarto modo ut quartus contra nonnullorum sententiam asserentium, quartū modum non considerari in unica propositione; potissima igitur esse non potest demonstratio illa, in cuius maiori propositione prædicatur essentialis definitio de causali, sed tantum propter quid; quare maior extremitas in potissima demonstratione erit propria passio, minor uero erit illius passionis determinata species, non passio ipsa, de qua concludatur eius essentialis definitio per aliam eiusdem passionis causalem definitionem, quia (ut diximus) demonstratio illa non est potissima; medius autem terminus non potest esse nisi quiditatiua defini C tio minoris extremitatis, idest, subiecti, licet non sumatur ut quiditatiua subiecti definitio, sed ut causa efficiens non uera passionis, nam si propria passio habet ut sit à quiditatiua subiecti definitione, scirecꝙ simpliciter ex Aristotele est rem p̄ causam cognoscere, à qua res illa habet ut sit, medius terminus non potest esse nisi quiditatiua subiecti definitio, sumpta tamen ut causa efficiens non uera passionis, cui semper est annexa, ad differentiam causæ efficientis ueræ, quæ nō semper comitatur effectum, ex quo patet, non esse ex mente philosophi eorum sententiam, qui dicunt, unam passionem per aliam potissima demonstratione ostendi posse, cum una non sit causa ut altera sit.

Ostenditur, omnes potissimæ demonstrationis propositiones habere prædicatum uniuersale, seu primum.

CAP. III.

D Constitutis potissimæ demonstrationis terminis, accipiamus loco exempli illam uulgatissimam, in qua concluditur, hominem risibilem esse propter

animal rationale, hoc pacto, animal rationale est risibile, homo est animal ratio- A nale, ergo homo est risibilis. Omnes propositiones huius demonstrationis habent prædicatum primum, & uniuersale; dixi prædicatum primum, quia hæc dictio (primum) non solum subiecto, sicuti (secundum quod ipsum) sed etiam prædicato (quidquid dicant alii) accommodari potest, cum denotet prædicatum immediatum, uel subiecti, uel causæ immediatione. Conclusionem illius demonstrationis habere prædicatum primum primitate subiecti, non indiget probatione, cum inter hominem, & risibile non cadat aliud subiectum medium, cui risibilitas primo insit, sicuti manifestissimum est, eam non habere prædicatum primum primitate causæ, cum inter hominem, & risibile cadat causa media, uidelicet, animal rationale, per quod risibilitas inest homini; est itaque conclusio illa mediata, & immediata, mediata mediatione causæ, alioquin non posset demonstrari, immediata uero immediatione subiecti, aliter non haberet prædicatum uniuersale, quod B præter nexum definitiuum requirit sui cum subiecto conuersionem. minorē quoque, uidelicet, homo est animal rationale, habere prædicatum primum omni primitate clarum est, cum inter definitionem quiditatiuam, & definitum nihil cadat medii, idcirco habere prædicatum uniuersale. ultimo, maiorem propositionem habere & ipsam prædicatum primum primitate causæ compertissimum est, cum inter animal rationale, & risibile non cadat alia causa media, à qua risibilitas habeat ut sit, & conseruetur. Cum itaque prædicatum primum, uel uniuersale præter nexum definitiuum dicat semper adæquationem sui cum subiecto, colligitur, prædicata prima, siue uniuersalia non esse nisi tria, uidelicet, totam definitionem, ultimā differentiā, & propriam speciei passionē, quoniam hæc solū tria sunt termini pares, & conuertibiles; colligitur etiam, potissimam demonstrationem non reperiri nisi in terminis conuertibilibus.

C

Nonnulla ponuntur notanda, quibus facilius cognosci possit in quo modo dicendi per se prædicta demonstrationis propositiones existant.

CAP. IIII.

OMnes propositiones iam dictæ demonstrationis esse per se non indiget probatione, quia quod est uniuersale, est etiam per se, sed non ē conuerso; mihi tamen explicare placet in quo modo dicendi per se unaquæq; propositio reperiatur. pro cuius rei faciliori intelligentia aduertendum esse duximus ex mente philosophi in secundo Post: cap: nono, & in octauo Diuinorum tex: com: decimo tertio, accidentia propria præter essentialem definitionem habere etiam causam extrinsecam, à qua ipsa, & eorum essentia emanant; ut, gratia exempli, essentialis definitio risibilitatis constans ex genere, & differentia, est aptitudo homi- D nis ad ridendum; aptitudo ad ridendum, quæ est forma risibilitatis, sumitur lo-

A eo generis, dictio uero illa (hominis) loco differentiæ, quia accidentia propria distinguuntur per subiectum, cui inhærent, hinc est, ut definitio proprietatum dicatur definitio per additamentum, quoniam datur per ea, quæ sunt diuersorum generum, ut patet in prædicta definitione, in qua genus est accidens, & differentia substantia; causa uero extrinseca, à qua fluit essentialis hæc definitio, est animal rationale. quare prolata huiusmodi definitio, uidelicet, aptitudo hominis ad ridendum unà cum animali rationali, dicitur definitio essentialis cum causa, sine uero animali rationali, appellatur essentialis definitio sine causa, quod sane quidē non competit substantiis, quia illæ præter quiditatiuam definitionem non habent aliam causam extrinsecam, à qua earum essentia oriatur, sed causæ essentiæ substantiarum sunt in ipsismet substantiis. Ex qua ratiocinatione elicitur, causam extrinsecam propriarum passionum non esse de earum essentia, sed solum es-
B sentiæ causam, accipiendo essentiam proprie dictam, pro ut, scilicet, constat ex genere, & differentia proxima; si uero accipiatur essentia largo modo, pro ut amplectitur etiam causam, à qua fluit essentia proprie dicta, non est inconueniēs, ut causa essentiæ dicatur essentiæ pars. Præterea, aduertendum est, subiectum esse duplex, propositionis unum, alterum rei, uel inhærentiæ, subiectum propositionis est illud, de quo aliquid prædicatur, & hoc potest esse, uel solum forma, uel compositum ex materia, & forma; subiectum autem rei est, quod uere, & proprie subiicitur accidentibus, & proprietatibus, neq; esse potest nisi compositum ex materia, & forma, quia subiectum rei, nimirum alicuius proprietatis, est quod ponitur in eius essentiali definitione ut differentia, sed subiectum, quod ponitur ut differentia in definitione essentiali proprietatum, est compositum ex materia, & forma, ut declarabimus, ergo subiectum rei non potest esse nisi compositum ex materia, & forma.

In quo modo dicendi per se reperiatur conclusio, & minor propositio præposita demonstrationis.

CAP. V.

HIS ita constitutis, facile erit uidere in quo modo dicendi per se reponantur omnes propositiones præpositæ demonstrationis; de conclusione, & minori propositione clare patet in quo modo dicendi per se contineantur, nam cōclusio, uidelicet, homo est risibilis, est in secundo modo, quia subiectum propositionis, & rei ponitur in definitione prædicati, homo enim, cum de eo prædicetur risibile, est subiectum propositionis, est etiam subiectum rei, cum sit composi-
D tus ex materia, & forma, ac ponatur in essentiali definitione risibilitatis ut differentia, & propterea ut materia in qua, nam proprietates, quando definiuntur per additamentum, non possunt differentiæ loco habere nisi materiā, in qua sunt, cum per eam ab aliis distinguantur; sed materia, in qua sunt proprietates, est

subiectum compositum ex materia, & forma, sicuti est subiectum illius conclusionis, ergo subiectum, quod ponitur ut pars essentiæ suarum proprietatum, debet esse subiectum propositionis, & rei, non autem subiectum solum propositionis, quia non semper subiectum propositionis est de essentiali definitione prædicati, ut inferius explicabitur. Ex quo elicitur, secundum modum dicendi per se fũdari in genere causæ materialis in qua; dixi materiam in qua ad differentiam materiæ ex qua, quæ cum sit altera pars compositi, non est ens completum, & in actu perfecto, sed potentia, nam compositũ efficitur ex forma tanquam ex actu, & ex tali materia tanquam ex potentia, quæ quidem materia ex qua non ponitur in secundo modo dicendi per se, quia in huiusmodi materia non insunt proprietates specificæ, uerum si in aliquo modo debet collocari, non potest collocari nisi in primo, non principaliter, quia in eo prædicata sunt formalia, sed consequenter, ueluti causa sine qua non potest forma subsistere, idest, ueluti uehiculum deferens formam, licet Latini aliter sentiant, uolunt enim materiam ex qua non secus, ac formam, esse in primo modo dicendi per se, cum ex eorum sententia tota rei quiditas constet ex tali materia, & forma. quam opinionem philosophi sententiæ repugnare superiore libro capite duodecimo à nobis disputatum fuit. cum explicatum sit in quo modo dicendi per se sit conclusio, uidendum est in quo modo sit minor propositio, uidelicet, homo est animal rationale; dicimus, eam esse in primo modo, quia prædicatum non solum est de quiditate subiecti, sed est eius ipsamet quiditas, seu definitio quiditatiua; nec potest in alio modo reperiri minor propositio potissimæ demonstrationis, quia non demonstratur propria passio de subiecto in huiusmodi demonstratione nisi per eiusdem subiecti definitionem, quæ in primo modo primæ figuræ subiicitur in maiori propositione passioni demonstrandæ, & in minori de subiecto prædicatur; nec obstat minorem aliquando reperiri in secundo modo, quando, scilicet, demonstratur passio de subiecto per aliam eiusdem subiecti passionem, quia demonstratio illa non est potissima, ut suo loco declarabitur.

In quo modo dicendi per se reperiatur maior propositio illius potissimæ demonstrationis.

CAP. VI.

CVM dixerimus in quo modo dicendi per se reperiatur conclusio, & minor propositio illius uulgatissimæ demonstrationis, quam loco exempli accepimus, reliquum est, ut uideamus in quo modo sit maior propositio, nempe, animal rationale est risibile. non est in primo, tum quia prædicatum non est de quiditate subiecti, tum quia etiam in illa propositione non ponitur uera causa formalis risibilitatis. non est in secundo, quia subiectum non est de essentia prædicati, nam animal rationale non est neq; genus, neq; differentia risibilitatis, non est

etiam in tertio, quia in eo collocantur solum substantiae primae, quae significant A hoc aliquid, & de subiecto non praedicantur. Erit igitur propositio illa in quarto modo, in quo collocantur causae externae, uidelicet, efficiens, & finalis, nam animal rationale quatenus est extra risibilitatem, & illam efficit, dicitur eius causa efficiens, dicitur etiam causa finalis, quia risibilitas reducitur ad animal rationale, tanquam perfectibile ad suum perfectiuum. cum itaq; animal rationale respectu risibilitatis sit efficiens, & finalis causa, sequitur, propositionem illam esse per se in quarto modo, qui reduci potest ad primum, & secundum.

Nonnullorum sententia, quae etiam communis est, circa maiorem propositionem, ut sit in secundo, non in quarto modo dicendi per se.

B

CAP. VII.

EX altera parte nonnulli communem opinionem sequentes, asserunt, maiorem propositionem esse per se semper secundo modo, nec minus, quam conclusionem, ut autem hoc facilius declarent, inquiunt, esse in memoriam ea omnia reuocanda, quae dixerunt de duplici emanatione accidentis proprii a subiecto, nempe, tanquam a materia externa, in qua recipitur, & tanquam a causa, a qua producitur, quam utranque emanationem constituere praedicationem per se secundi modi aduersus Diuum Thomam demonstrarunt. dicunt igitur in omni propositione per se secundi modi esse utranque emanationem, sed alteram tantum expressam, alteram uero implicitam, & occultam, utraque enim simul in eadem propositione exprimi non potest, quoniam uterque propositionis ter- C minus unus esse debet, non duplex; cum itaque tam conclusio demonstrationis, quam propositio maior sit per se secundo modo, inter eas hoc interest, quod, scilicet, in conclusione exprimatur pendentia accidentis a subiecto tanquam a materia recipiente, at pendentia eiusdem accidentis a causa manet implicita, atq; recondita; dum enim dicimus, homo est risibilis, exprimitur homo, in quo tanquam in materia externa recipitur risibilitas, causa non exprimitur, adest tamen, quia hominis appellatione comprehenditur, cum in homine insit, siue ea sit propria hominis forma, siue alterum accidens hominis proprium, haec igitur pendentia ibi est uirtute quadam, & implicita, non actu, & expressa. contra uero in propositione maiori se res habet, in ea namq; exprimitur pendentia accidentis a causa, siquidem nomen causae exprimitur; altera uero pendentia uc a subiecto D non exprimitur, sed tamen implicite, & uirtute quadam significatur; dum enim dicimus, rationale est risibile, rationalitatem exprimimus, quae est causa risibilitatis, hominem autē non exprimimus actu, is tamen potestate, & implicite subiici intelligitur, ideo postea in minore actu subiungitur, dum dicitur, at homo est rationalis;

rationalis; propterea non esse ignorandum, inquiunt, quod, quando dicimus, rationale est risibile, non dicimus, accidens illud inesse in sua causa, risibilitatem, scilicet, in rationalitate, sed in subiecto, quod ibi uirtute comprehenditur, ideo uocibus utimur significantibus non abstracta, sed concreta, non enim rationalitas est risibilitas, sed rationale est risibile. Et huius propositionis sensus nullus alius est, quam hic, cui subiecto inest rationalitas, eidem inest risibilitas, subiectum igitur in propopositione maiori est homo potestate significatus, in conclusione uero idem homo actu expressus. A

Haec opinio, quae communis est, impugnatur. CAP. VIII.

HAEC opinio, licet sit communis, non uidetur mihi undequaque tuta, quare, cum philosophandi uia nemini sit interclusa, ueritatis amore ductus non uerebor eam, quantum in me erit, hunc in modum impugnare; nemo sanae mentis est, qui non intelligat, rationale significare formam hominis, & denotare materiam, uidelicet, carnes, & ossa, sed quaeritur pro quo intelligatur rationale in illa propositione; uidelicet, rationale est risibile, uel solum pro efficiente absque materia, idest, pro forma hominis, quae risibilitatis est causa efficiens, uel pro efficiente in materia, idest, pro homine composito ex materia, & forma; si responderent, illud intelligi pro composito ex materia, & forma, multa sequerentur absurda, & primo, minorem potissimae demonstrationis non esse per se, nam si rationale in subiecto maioris intelligeretur pro homine composito ex materia, & forma, intelligeretur etiam pro eodem in praedicato minoris, alioquin medium non esset idem in utraque propositione, atque ideo ratio esset in quatuor terminis; si itaque in ambabus propositionibus intelligeretur pro eodem, ergo dicere in minori, homo est rationalis, esset perinde, ac dicere, homo est homo, quae propositio, licet sit uerissima, non est per se eo modo, quo determinatum est per se ex mente philosophi in primo posteriorũ contextu nono. praeterea, concessa huiusmodi sententia, medium non esset extra essentiam passionis demonstrandae contra Auerroem in secundo posteriorũ com: trigesimo octauo, & contra se ipsos, asserunt enim alibi, omnem causam efficientẽ, quaecunque illa fuerit, uel interna, uel externa, esse extra essentiam effectus; deducitur consequentia; si rationale, quod pro medio sumitur, idem esset, quod homo, & homo est pars essentiae risibilitatis demõstrandae, quia in eius definitione ponitur ut differentia, rationale quoque esset pars essentiae eiusdem risibilitatis, ergo medium non esset extra essentiam passionis demonstrandae. Vltimo sequeretur, quando definimus risibilitatem per hominem, dum dicimus, risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum, ut perinde esset, ac si diceretur, risibilitas est aptitudo rationalis ad ridendum, ergo frustra essentiali risibilitatis definitioni adderetur eius causa, alioquin fieret nugatio in tota risibilitatis definitione, quoniam idem bis repeteretur, dicere enim cogeremur, risibilitas est aptitudo rationalis ad ridendum B C D

A propter rationale, ſeu , riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridendum propter hominem.Si uero reſponderent,ibi rationale intelligi ſolum pro efficiente abſque materia, contra eorum determinationem maior propoſitio non eſset,ſicuti concluſio,in ſecundo modo dicendi per ſe,quoniam in ſecundo modo, nō ſecus ac in primo,prædicatum debet ineſse ſubiecto , quæ conditio non reperitur in ea propoſitione, rationale eſt riſibile,quia ex eorum ſententia neutrum alteri ineſt.cum itaq; rationale,ſeu animal rationale, licet denotet materiam, intelligatur in maiori propoſitione ſolum pro cauſa efficiente , quoniam de eo ſecundū huiuſmodi ſignificatum prædicatur riſibile; melius fortaſse erit dicere,maiorem illam propoſitionem eſſe in quarto modo dicendi per ſe, qui huiuſmodi cauſam, & finalem poſtulat,pro ut tamen reducibilis eſt ad ſecundum. quomodo autem ad modum illum reducatur,declaro,& declaratio ſumitur ex iis , quæ ſuperius in quarto capite notauimus,ſi enim riſibilitatis ratio ſumatur proprie,ideſt,ſine cauſa,propoſitio illa maior,quæ eſt,animal rationale eſt riſibile, ſeu, rationale eſt B riſibile,non eſt per ſe in ſecundo modo, quia rationale non eſt neq; genus , neq; differentia riſibilitatis , & propterea non eſt de eius propria ratione ; uerum ſi eiuſdem riſibilitatis ratio accipiatur largo modo, pro aggregato, ſcilicet, ex ue ra eſsentia,& eius cauſa,tunc illa propoſitio eſt in ſecundo modo dicendi per ſe, quia eius ſubiectum eſt de ratione prædicati,non tamen ita proprie , ſicuti concluſio,proptereaquòd ſubiectum concluſionis eſt compoſitum ex materia,&forma,atq; ideo eſt ſubiectum propoſitionis,& rei,ſeu inhærentiæ,&pars eſsentialis rationis prædicati,cum ſit eius differentia,cui quidem ſubiecto uere paſsio dicitur ineſse; ſubiectum autem illius maioris eſt ſolum ſubiectum propoſitionis,cū ſit forma ratione hominis,& cauſa efficiens non uera,quæ ſapit naturam formæ, ratione riſibilitatis, in cuius integra definitione ponitur ut pars, pro ut,ſcilicet, eſt propter quid, & cauſa efficiens,à qua riſibilitas,eſsentialiſq; eius ratio fluit,& tali ſubiecto non ineſt proprie prædicatum,quæ conditio,uidelicet, prædicatum C ineſſe ſubiecto, requiritur ad uerum ſecundum modum dicendi per ſe; ſed dicitur ei ineſse, quatenus ab eo emanat,& hac de cauſa maior propoſitio non eſt proprie in ſecundo modo,ſed ad illum reducibilis, nam ad eum reducitur quartus modus,quando demonſtratur propria paſsio de ſubiecto, ad primum uero modum,quando demonſtratur eſsentialis paſsionis definitio de ipſa paſsione, ni mirum,aptitudo hominis ad ridendum de riſibilitate per animal rationale hunc in modum , propter animal rationale eſt aptitudo hominis ad ridendum, ſed riſibilitas eſt propter animal rationale,ergo riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridendum. in hac demonſtratione,licet potiſsima non ſit,ut in ſuperioribus demō ſtratum fuit , minor propoſitio eſt in primo modo,ſicuti & concluſio , cum animal rationale , quod eſt prædicatum illius propoſitionis , ſit de ratione riſibilitatis,quæ ſubiectum eſt,ſi accipiatur tota ratio,ideſt,ratio cum cauſa,animal enim rationale eſt cauſa eſſentiæ riſibilitatis . cum itaq; in quarto modo , ſicuti D in primo,&in ſecūdo,fiāt propoſitiones,neceſſe eſt,ut cauſa externa ſit uel prædicatū,uel ſubiectū;ſi fuerit prædicatū, tunc quartus modus concurrit cū primo,

sicuti enim in primo modo prædicatum ponitur in definitione subiecti, ita etiã A
in quarto, qui tamen ab eo distinguitur, quoniam prædicatum in primo modo uel est quiditas subiecti, ut, homo est animal rationale, uel pars quiditatis, ut, homo est animal, & homo est rationalis; in quarto uero prædicatum est semper extra essentialem subiecti rationem proprie acceptam, ut patet in illa propositione; uidelicet, risibilitas est animal rationale, seu, risibilitas est propter animal rationale, neque enim animal rationale est essentialis ratio risibilitatis, neq; pars eius, sed causa, à qua risibilitas, & eius essentia ortum ducunt; si autem causa illa externa fuerit subiectum, ut uidere est in illa propositione, animal rationale est risibile, conuenit tunc quartus modus cum secundo, quia sicuti in secundo modo ponitur subiectum in definitione prædicati, ut, homo in definitione risibilitatis, ita in quarto animal rationale ponitur in eiusdem risibilitatis definitione; differt tamen quartus à secundo, quoniam in secundo modo subiectum sumitur pro composito ex materia, & forma, idest; pro materia in qua, & est pars essentiæ prædicati, in quarto autem sumitur solum pro efficiente B
absque materia, & est extra essentialem prædicati definitionem. de sensu uero earum propositionum, rationale est risibile, & è conuerso, risibile est rationale, ut, scilicet, in quo subiecto inest rationalitas, in eodem insit risibilitas, & in quo subiecto inest risibilitas, in eodem insit rationalitas, quia neutrum re uera alteri inest, sed utrunque alicui tertio, dubia res est, nam posita ueritate huius dicti, sequeretur primo, risibilitatem non inesse subiecto actu existenti, quod est contra naturam accidentis; deducitur consequentia, rationalitas inest subiecto materiali, ut ex ea, & huiusmodi materiali subiecto fiat compositum, at per eos in quo subiecto inest rationalitas, in eodẽ inest risibilitas, ergo risibilitas nõ in esset subiecto existẽti in actu specifico, & pfecto, sed subiecto materiali, atq; ideo non esset prædicatũ in secundo modo; secundo, & ultimo sequeretur, rationalitatem esse accidens, quod est absurdum, nam licet rationalitas sit qualitas, non est pure qualitas, sed qualitas substantialis; probatur consequentia, risibilitas, cum fluat à forma hominis, non potest homini inesse nisi pro ut est in actu specifico, & perfecto, sed per eos in quo subiecto inest risibilitas, in eodem inest rationalitas, C
ergo rationalitas inesset homini existenti in actu specifico, & perfecto, ergo esset accidens, quoniam quæ adueniunt enti in actu specifico, & perfecto existenti, accidentia sunt. Eius igitur propositionis, rationale est risibile, sensus (nisi fallor) aptior erit, ut, scilicet, rationalitas sit causa risibilitatis; eius autem, risibile est rationale, ut risibilitas proueniat à rationalitate tanquam à sua causa efficiente sibi coniuncta sub qualibet temporis differentia; omnes itaq; propositiones illæ sunt ueræ causaliter, & sunt in quarto modo dicendi per se, qui ad primum, & secundum (ut diximus) reduci bilis est.

D

A *Ex sententia nonnullorum Aristotelis artificium declaratur circa quartum modum dicendi per se.*

CAP. IX.

LICET quartus modus potissimæ demonstrationi sit utilis, quia tamen est hoc ex accidenti, idest, raro, nam raro euenit, ut causa efficiens, quæ collocatur in quarto modo, cum effectu reciprocetur, & posita ponat, atque ablata auferat, sicuti se habet terræ obiectio cum lunæ defectu, hinc fit, ut nonnulli affirment, quartum modum ab Aristotele omissum fuisse in modorum utilium enumeratione, quam fecit in decimo contextu secundum sectionem ueterem, quoniam in Disciplinis nulla ratio habenda est eorum, quæ ex accidenti sunt, & raro eueniunt, asserunt tamen, Aristotelis artificium expendentes, non omnino ab
B eo neglectum fuisse; siquidem in quarto capite primi libri Posteriorum postquam modos omnes dicendi per se, & per accidens enumerauerat, docet, duos priores habere necessarium terminorum connexum, de quarto nihil dicit; in sexto etiam capite probans, principia demonstrationis esse per se, ac necessaria, eos tantum duos modos considerat, ut in ea parte legere possumus, quæ incipiens à contextu quadragesimo quarto definit in quinquagesimum sextum secundum sectionem Auerrois, in quo conclusionem faciens omnium, quæ dixerat, inquit (per se igitur oportet & medium tertio, & primum medio inesse.) quibus uerbis significat se loqui de illis tantum prædicatis, quæ insunt in subiectis, non de disiunctis, proinde de duobus tantum prioribus modis, non de quarto. itaque Aristoteles pro illa tantum demonstratione regulas ibi tradit, quæ fit per internas causas, non de illa, quæ fit per externas, quoniam raro contingit, ut causa externa ad demonstrationem utilis sit; uoluit tamen demonstrationem per
C causas externas reducendam esse sub regulas, & præcepta eius, quæ fit per causas internas, idque ab Aristotele notatum, atque præceptum fuisse primi illi animaduerterunt, & est (inquiunt) magnum philosophi artificium nemini cognitum; locus, in quo id testatum reliquit Aristoteles, est particula sexagesima quincta secundum Auerrois partitionem primi libri posteriorum, ubi loquitur de scientia, ac demonstratione eorum, quæ sæpe fiunt, cum enim in præcedente eius libri parte potissimæ demonstrationis conditiones docuisset, & eas tantum demõstrationes, quæ ex internis causis fiunt, respexisset, in his enim locum habent duo soli priores modi dicendi per se; postea uidens facile euenturum esse, ut eas, quæ per externas causas fiunt, à genere demonstrationis repelleremus, admonere nos uoluit, eas quoque esse ueras demonstrationes, earumque principia, si recte considerentur, esse necessaria non minus, quàm illa, quæ in aliis demonstrationibus assumuntur.

D

Impugnantur ea, quæ in superiore cap. dicta sunt. A

CAP. X.

CVM in superioribus satis superq; probatum fuerit, quartum modum dicē di per se secundum partem, non secundum suum totum ambitum ingredi potissimam demonstrationem; non solum falsum remanet, ut nec in decimo, nec in decimo quinto contextibus de quarto modo nihil dicat, sed etiam uidetur funditus ruere illud philosophi artificium super contextum uigesimum secundum iuxta ueterem sectionem, ubi Aristoteles ait, (eorum autem, quæ sæpe fiunt, sunt demonstrationes, & quæ sequuntur,) præcipue si consideretur ibi eius intentio, quæ ex communi omnium consensu est, ut respondeat cuidam tacitæ obiectioni; cum enim in præcedenti parte, eo quia principia potissimæ demonstrationis debent esse uniuersalia, seu necessaria necessitate essentiali, dixerit, non licere demonstratiue transcendere de genere in genus, esseq; demonstrationem æternorum, & perpetuorum; posset aliquis latenter hunc in modum instare, eorum, quæ sæpe fiunt, demonstrationes, & scientiæ sunt, ergo non semper æternorum sunt demonstrationes, & scientiæ, quæ enim sæpe fiunt, perpetua non sunt. quare uidens philosophus huiuscemodi instantiam, ei respondet, sub demonstrationem, ac scientiam cadere ea, quæ sæpe fiunt, ut Lunæ defectus, & huius generis alia, non ea ratione, qua sæpe, sed qua semper modo quodam sunt; non enim huius particularis defectus demonstrationes, & scientiæ sunt, sed eius, qui uniuersalis est. hæc uidetur esse causa, qua ibi motus fuit Aristoteles ad asserendum, eorum, quæ extra subiectum sunt, esse demonstrationes, & scientias, non ea, quam illi posuerunt, ut, scilicet, admoneret nos utilitatē quarti modi dicendi per se, quem prius despexerat, falsum enim est, illum prius fuisse despectum, cum ea, quæ in decimo, & in decimo quinto contextibus dixit Aristoteles, non solum primo, & secundo modo, sed etiam quarto ad utrumq; reducibili possint accommodari, quando, scilicet, demonstrationes fiunt ex causa efficiente non uera, quæ est effectui semper annexa, & propterea cum eo nexum habet necessarium, ut patet de terræ interpositione ratione Lunæ defectus. sed admittamus nunc, eam esse causam, quam illi posuerunt, uelleq; Aristotelem eorum, quæ sæpe fiunt, esse demonstrationes, & scientias, unde quæso colligere possunt, demonstrationem de Lunæ defectu per terræ obiectionem esse potissimam? Si dicant, eo quia facit ut sciatur per causam, propter quam defectus est, quod illius est causa, & non contingere aliter se habere; tunc inferam, ergo principia huiuscemodi demonstrationis (ut ipsi quoq; fatentur) erunt necessaria necessitate essentiali, non secus ac principia demonstrationū, quæ ex internis causis fiunt, ergo in illa, sicuti in his, medium tertio, & primum medio inerit per se, cum ex eodem fundamento corollarium hoc inferatur, a quo tam externæ, quàm internæ causæ necessitatem essentialem habent, ex definitione, scilicet, ipsius scire simpliciter, quod tamen illi negant, asserentes, philosophum in calce decimi noni cō

B C D

A textus, quando ait, (Per se igitur oportet & medium tertio, & primum medio inesse,) de illis tantum prædicatis, quæ insunt in subiectis non de disiunctis loqui, quæ interpretatio uoluntaria est, nam posita huius interpretationis ueritate, non omnia principia demonstrationis de Lunæ defectu essent necessaria necessitate essentiali, cum minor illius demonstrationis ex eorum sententia paulo infra non sit per se ullo modo, non erit igitur uniuersalis, atq; ideo necessaria necessitate essentiali, quare potissima non erit contra eorum opinionem demonstratio illa de eclipsi Lunæ, cum de natura potissimæ demonstrationis sit habere propositiones necessarias necessitate excludente omnem contingentiam.

B

Ex aliorum sententia accidentium à duabus causis emanantium necessitas declaratur per comparationem causæ externæ cum interna.

CAP. XI.

ARbitrantes nonnulli accidentibus, tum à subiecto, in quo inhærent, tum à causa, à qua producuntur, emanantibus, ut uidere est de Lunæ defectu, & huiusmodi aliis, causam effectricem, non subiectum, existendi necessitatem inducere, ut id, quod dicunt, facilius intelligatur, conferunt accidentia hæc cum illis, quæ ab interna causa fluunt, sic enim manifestior fiet eorum necessitas. dictum ab illis est, accidens proprium pendere à subiecto tanquam à duplici causa, uidelicet, ut à materia externa, & ut ab efficiente per emanationem, ueluti risibile ab homine, quia latet in homine causa effectrix risibilitatis, quæ est ipsa hominis forma; igitur si fieri posset, ut hæ duæ causæ risibilitatis à se inuicem separa C rentur, & esset in homine risibilitas, in quo rationalitas non inesset, necessarium non esset, hominem risibilem esse, sed posset non esse risibilis, quia respectus, quẽ habet homo ad risibilitatem, est respectus subiecti recipientis, & potentiæ passiuæ, quæ dicitur esse potentia æque respiciens utrunque oppositum; homo itaq; quatenus est materia, & subiectum risibilitatis, nullam illi accidenti infert existendi necessitatem, sed tam habere, quàm non habere illam potest. quoniam igitur seiuncta causa effectrice non est necessarium hominem esse risibilem, si absque illa risibilis esse posset, ea sola est, quæ illi accidenti ut in homine insit necessitatem imponit; ideo risibilitas necessaria est homini non propter pendẽtiam ab eo ut à materia recipiente, sed propter pendentiam à causa sua effectrice, quæ eidem subiecto insita est. simili ratione in accidentibus, quorum causa effectrix externa est, si eam mente cum subiecto accidentis coniungamus, accidens semper inest non minus, quàm illud, quod causam internam habet, & hac ratione eius inhærentia D fit necessaria propter uim causæ efficientis; pendent enim hæc quoque accidẽtia & à subiecto tanquam materia, & à causa producente; at in eo differunt, quia

subiectum,& causa producens non sunt coniuncta, ut in illis, sed disiuncta; itaque si subiectum non accipiamus solum, ac nudum, sed unitum uirtute causæ efficientis, accidentia illa sunt ei necessaria; ut Lunam si consideremus cum obiectione terræ, necesse est in ea fieri eclipsim, sed non est necessarium dum solam Lunam respicimus. ergo accidentia hæc,quæ ratione subiecti non semper sunt,semper tamen sunt habita ratione causæ, quia certam causam necessario consequuntur. Ex his autem sumitur facilis interpretatio quorundam uerborum Aristotelis in primo capite secundi libri Posteriorum, quæ licet à Græcis optime declarentur, multis tamen negocium facessunt; loquens ibi Aristoteles de quæstione illa cõplexa, quæ uocatur propter quid, dicit, per eam quæri causam eorum, quæ per se, uel per accidens insunt alicui; uidetur itaq; illa, quæ per accidens prædicantur, ad demonstrationem admittere, quod quidem nulla ratione uidetur esse cõcedendum; Græci sic interpræetantur; per se insunt, ut in homine risibilitas, per accidens uero, ut eclipsis in Luna; est enim ex accidenti dum solius Lunæ ratio habetur, attamen est per se adhibita causæ externæ consideratione,per se (inquã) secundo modo, quia in definitione eclipsis ponitur Luna,at non poneretur,si nulla esset extra Lunam causa, quæ Lunam cogeret obscurari, causa namque externa facit eclipsim necessario, & per se in Luna inesse. Est autem aduertendum, ne propter ambiguitatem in difficultates labamur, duo esse genera eorum,quæ nõ semper fiunt, ideoq; ex accidenti fieri dicuntur; illa enim, quæ casu eueniunt,ex accidenti sunt, & sub scientiam,ac demonstrationem non cadunt,quoniam rarò fiunt non solum habita ratione subiecti, sed etiam habita ratione causæ, nullam enim certam causam necessario cõsequuntur,quia fiunt præter intentionem causæ efficientis, quæ per se aliud quidpiam efficere uolebat; eclipsis autem raro fit, & sub scientiam cadit, quia ratione tantum subiecti raro fit, sed semper ratione causæ: eorum igitur, quæ raro, & ex accidenti fiunt, alia sub scientiam cadunt, alia non cadunt.

A B

Impugnantur ea, quæ modo notata sunt.

CAP. XII. C

EX impossibili illa suppositione, ut per comparationem causæ externæ cum interna declarare possent necessitatem eorum accidentium,quæ extra subiectum sunt, tantum abest, ut propositum assequantur, ut potius oporreat eos oppositum colligere. Sed antequam id ostendamus, aduertendum esse duximus, alio pacto se rem habere, quando aptitudo,& quando actus de subiecto demonstratur; in aptitudine enim demonstranda sumitur solum forma subiecti, quia ab illa tantum fluit tanquam à causa effectrice, non ab obiecto extra, ut patet quando demõstratur risibile de homine per animal rationale hunc in modum; omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale,ergo omnis homo est risibilis; nec nõ quando demonstratur eclipsabile de Luna per ipsum recipere D

lumen à ſole, eiq; diametraliter opponi, hac ratione; omne ſydus recipiens lu-
A men à ſole,& cum ſole ita ſe habens,ut poſſit ei diametraliter opponi, eſt eclipſa bile, Luna eſt ſydus recipiens lumen à ſole, & cum ſole ita ſe habens, ut poſſit ei diametraliter opponi, ergo Luna eſt eclipſabilis. in actu autem demonſtrando concurrunt natura ſubiecti, & obiectum extra,quoniam ab illis emanat, ut uidere eſt de eclipſi Lunæ, quæ partim fluit à natura Lunæ,quatenus, ſcilicet,Luna eſt nata apta recipere lumen à ſole, eiq; diametraliter opponi, partim uero ab obiecto extra, nimirum,à terræ interpoſitione, per quæ omnia eclipſis demonſtratur hoc pacto; omne ſydus recipiens lumen à ſole, & cum ſole ita ſe habens, ut diametraliter terra inter ſe, & ſolem intercidat, eclipſatur, ſed luna eſt ſydus recipiens lumen à ſole, & cum ſole ita ſe habens,ut diametraliter terra inter ſe,& ſolem intercidat, ergo Luna eclipſatur, quælibet enim ex illis cauſis remoueatur, altera manente, tollitur eclipſis. hoc poſito,oſtendimus,ſolam terræ interpoſitionem non eſſe cauſam ſufficientem ad Lunæ eclipſim demonſtrandam; quemad-
B modum enim,ex eo quod, remota ab homine rationalitate,non eſt neceſſarium, hominem eſſe riſibilem, inferunt, ſolam cauſam effectricem, quæ eſt animal rationale,riſibilitati ut in homine inſit neceſſitatem imponere; ita,ex eo quod,remoto à Luna ut recipiat lumen à ſole, eiq; diametraliter opponatur, non eſt neceſſarium,Lunam eclipſari,licet inter eam,& ſolem terra interponatur, non poteſt aliud inferri, niſi Lunæ naturam, & obiectum extra, terræ (inquam) interpoſitionem neceſſitatem eclipſi imponere,ut in Luna inſit, ergo inſufficiens eſt ſola terræ interpoſitio ad demonſtrandam Lunæ eclypſim. cum demonſtrabile debeat per omnes illas cauſas demonſtrari, à quibus fluit. ſicuti itaque non eſt neceſſarium in Luna fieri eclipſim, dum ſolam Lunam reſpicimus abſque terræ interpoſitione, (non dico ſolam Lunam, ideſt, ſolam Lunæ materiam abſque eius natura, quia hoc pacto ſumptum ſubiectum non efficit ſecundum modum dicẽdi per ſe, ut diſputatum fuit in præcedente libro capite decimo. quincto, ſed ſo-
C lam Lunæ naturam abſq; obiecto extra) ita non eſt neceſſarium in Luna fieri eclipſim,dum ſolã cauſam externã, nempe, terræ interpoſitionem reſpicimus abſque Lunæ natura. Sed contra determinationem noſtram poſſet aliquis & optime inſtare philoſophi auctoritate in octauo libro Diuinorum contextu decimo tertio, ubi ponens eclipſis rationem ſine cauſa, ait, eclipſis eſt priuatio luminis; ſi uero addatur, à terra in medio interpoſita, inquit, hæc eſt ratio cum cauſa; Si itaque alia præter terræ interpoſitionem eſſet eclipſis cauſa efficiens, diminutus fuiſſet Ariſtoteles in enumeratione efficientium eclipſis cauſarum. pro reſponſione ad inſtantiam aduertendum eſt, in actu aliquo demonſtrando non omnes cauſas concurrentes ad eius demonſtrationem eſſe in genere cauſæ efficientis,ſed ſolum obiectum extra, ſubiectum uero diſpoſitum ad huiuſmodi actum recipiendum, cum ſit actu exiſtens, atq; ideo materia in qua, reduci ad genus cauſæ materialis, agens enim debet agere in paſſum, ideſt, in ſubiectam materiam recte diſpo-
D ſitam. hoc poſito, dicimus, terræ interpoſitionem eſſe cauſam eclipſis in genere cauſæ efficientis,ſed ea ſola non eſt ſufficiens ad ipſam demonſtrandam,cum eclipſis

psis non solum à causa extrinseca, nempe, à terræ interpositione, quæ eius effe-
ctrix est, sed etiam à Luna producatur tanquam subiecto disposito ad ipsius
eclipsis receptionem. quando igitur loco citato ait Aristoteles, (si uero addatur, A
à terra in medio interposita, hæc est ratio cum causa,) intelligit de causa effi-
ciente, in quo genere causæ constituendo non est diminutus, cum terræ inter-
positio in genere causæ efficientis sit adæquata causa eclipsis Lunæ, sed ipsa so-
la non est causa sufficiens ad ostendendum eclipsim inesse Lunæ, quia præter ter
ræ interpositionem requiritur etiam Lunam esse modo prædicto dispositam ad
eclipsis receptionem, si enim Luna non à sole, sed de se lumen haberet, à terra
interposita minime prohiberetur lumen illud; neque etiam prohiberetur, con-
cesso eam à sole lumen recipere, si ei diametraliter non posset opponi. Ex quo
clare patet, demonstrationem de eclipsi Lunæ per solam terræ interpositionem
non esse potissimam, cum sit constructa per causam non sufficientem. Quod at-
tinet ad uerba philosophi in secundo Posteriorum capite primo, ea non uidetur
suscipere expositionem, quam ponunt, per illa .n., quæ insunt p se intelligit A-
ristoteles ea, quæ insunt sẽper, ut risibile in homine, per illa uero, quæ insunt per
accidens, intelligit ea, quæ insunt raro, ut eclipsis in Luna; sed dato, philosophum B
accipere (per se) ut sonat uox, & (per accidens) pro ut contradistinguitur à
per se, concedimus, habita solum materiæ Lunæ consideratione absq; eius na-
tura, eclipsim inesse ei per accidens, non per se in secundo modo, quia secun-
dus modus fundatur in materia in qua, quæ est subiectum actu existens, compo
situm ex materia, & forma; negamus tamen eclipsim esse in Luna per se in se-
cundo modo adhibita causæ externæ consideratione, quia per eam Luna non
est actu Luna, & propterea non est materia in qua ad secundum modum re-
quisita, sed utique adhibita Lunæ natura, per quam Luna est actu Luna, &
subiectum requisitum (ut diximus) ad secundum modum dicendi per se absq;
terræ interpositionis consideratione. demum circa illa duo genera eorum, quæ
non semper fiunt, quando dicunt, eclipsim raro fieri, & sub scientiam cadere,
quia ratione tantum subiecti raro fit, sed semper ratione causæ; dictum hoc quo
ad utranque partem patitur difficultatem, & primo quo ad primam, quia non C
raro, sed nunquam fit eclipsis habita solum ratione subiecti, siue illud
sit materia absque forma, siue compositum ex materia, & forma,
cum eclipsis, eo quia actus est, non solum à natura subie-
cti, sed etiam à terræ interpositione fluat tanquam ab
obiecto extra. Secundo, & ultimo quo ad se-
cundam, quia per causam intelligunt ter-
ræ interpositionem absque Lunæ na-
tura, quod non admodum
cum ueritate conuenis
se disputatum
est. D

Ex aliorum sententia quomodo demonstrationis facta per causam externam propositiones, & conclusio sint per se.

A

CAP. XIII.

Asserentes, demonstrationem, quæ tam per externam, quàm per internam causam fit, potissimam esse, declaratis iis, quæ ad demonstrationem per causam internam spectare uidebantur, explicare nituntur quomodo in demonstratione per causam externam, nimirum, quando demonstratur eclipsis de Luna per terræ interpositionem, propositiones, & conclusio sint per se. uerum ut id facilius perficerent, duobus modis demonstrationem illam formandam esse existimant, primo sic, Quod prohibetur radiis solaribus à terra obiecta, id obscuratur, atqui Luna prohibetur radiis solaribus à terra obiecta, Luna igitur obscuratur;
B Secundo autem modo hac ratione, illud, inter quod, & solem terra interponitur, obscuratur, at inter Lunam, & solem terra interponitur, ergo Luna obscuratur. sed utcũque formetur demõstratio, non facit fidẽ, nisi tanquã notum supponamus, Lunæ lumen à radiis solaribus effici. de maiori propositione, ac prædictarũ demonstrationũ cõclusione clarũ est in quo modo per se sint; conclusio .n. secũdũ Aristotelis præcepta est in secundo modo dicendi per se, cum subiectũ, cui prædicatum inest, in eiusdẽ prædicati definitione ponatur; maior uero est in quarto modo, cum ibi sit posita causa externa, quæ idonea est ad demonstrationem, quoniam adepta est secundi modi conditionem, habet enim subiectum, quod in prædicati definitione accipitur. de minori autem propositione quomodo sit per se non est facile demonstrare, nam in ea prædicatur de Luna interpositio terræ, seu impedimentum factum à terra interposita, quorum terminorũ neuter alterius causa est. multi ad hoc multa dicunt, sed relictis aliorũ responsionibus, eã omniũ
C tutissimã esse cẽsent, ut asseuerent, minorẽ illã propositionẽ nullo modo esse per se; quod dicunt non esse ita absurdum, ut uidetur, si naturam demonstrationis, finemq́ spectemus, & uerba philosophi recte, ac profunde perpendamus; finis demonstrationis nõ alius est, quàm perfecta propositi accidentis cognitio, nã cognitio subiecti p demonstrationẽ non quæritur, similiter neq; cognitio medii, sed, & subiectum, & medium ante demonstrationem cognita supponuntur; tota igitur uis demonstrationis ad affectionem quæsitã dirigitur; proinde ea sola in demonstrando attendẽda sunt, quæ ad ipsius affectionis plenã scientiam requiruntur; hæc cum multa sint, duobus tamen præceptis omnia perstringi possunt, cum .n. affectio pendeat tum à subiecto, tum à causa, quod ad subiectum attinet, uult demonstrari de proprio subiecto, cui primo inest, non de aliquo alio, ut risibile de homine, non de animali, & tres anguli æquales duobus rectis de triangulo, non de æquilatero, neque de figura; quod uero attinet ad causam, uult demon-
D strari per causam proximam, & sibi æquatam, qua una posita, ponitur, & qua ablata, aufertur, non per causam aliquam communem, & remotam. hæc

duo si adsint, non est dubitandum, potissimam, ac præstantissimam eam demonstrationem esse, cum de re proposita nulla potior extrui queat; hoc autem dum dicimus, asserimus in demonstratione summe essentialem connexum esse debere affectionis tum cũ medio, p quod demonstratur, tum cũ subiecto, de quo demonstratur; medii uero cum subiecto non est necessarius talis essentialis connexus, neque requiritur ut alterũ alterius causa sit, cũ neq; subiectum propter mediũ, neque mediũ propter subiectũ in demonstratione sumatur, sed utrunque propter affectionẽ. Hæc omnia ita uera sũt, ut ex ipsius rei inspectione omnibus nota esse deberent, si temporibus nostris philosophos haberemus, qui rerum naturas perscrutãdo philosopharẽtur, nec solũ uerbis Aristotelis addicti, eaq; sæpius perperã intelligẽtes, ad ea res ipsas accommodare soliti essent, nil aliud quærentes, quàm quid dicat Aristoteles, neque aliunde, quàm ex ipsius uerbis argumẽta ad oĩum cognitionẽ, & cõprobationẽ sumẽtes. hãc suã rationẽ cõfirmant Aristotelis auctoritate in secũdo Posteriorũ, ubi sæpe dicit, potissimã ẽẽ eã demõstrationẽ, quã eclipsis de Luna demonstratur p obiectionẽ terræ, licet propositio minor in ea demõstratione nõ possit ullo modo ẽẽ p se. nec obstant uerba Aristotelis in particula illa quinquagesima sexta primi libri Posteriorũ dicẽtis, & mediũ tertio, & primũ medio p se inẽẽ oportere; siquidẽ loquitur ibi de illa demonstratione, quæ per internã causã fit, in ea .n. necesse est, ut mediũ uel sit forma subiecti, uel eius proprietas, proinde ut minor sit p se aut primo, aut secũdo modo; secus autẽ ẽ in ea demõstratione, quæ fit p externã causã, quã si sub ea præcepta reducere uolumus, satis est si sub iis eo modo comprehendatur, quo comprehendi potest, & ea saltem participet, quæ ad potissime demonstrandum omnino necessaria sunt. A B

Quæ in superiori capite dicta sunt magna ex parte confutantur.

C A P. X I I I I.

NVlla potest dari potissima demonstratio (siue fiat illa per externam, siue per internam causam) quæ non habeat omnes propositiones per se; quod si probatũ fuerit, non solum aliis, sed etiam ipsismet absurda fortasse uidebitur respõsio illa, quam tutissimã esse arbitrãtur, ut, scilicet, minor propositio demõstrationis de Lunæ defectu per terræ interpositionẽ, quã dicunt esse potissimã, nullo modo sit p se. & primo ad id probandũ accipio pro fundamẽto ea, quæ ipsi alibi cõcedunt, ut, scilicet, (per se ipsũ, & quatenus ipsum, nihil aliud significare uideantur, quàm per essentiam propriam, quando enim subiectum per suam essentiam habet aliquod prædicatum, dicitur per se ipsum, & quatenus ipsum illud habere, quasi dicatur, ex eius subiecti essentia, non ex alia ratione illud prædicatum subiecto competere.) posita huius fundamenti, quod est etiam philosophi, ueritate, argumentor hunc in modum; Conclusio formatæ demonstrationis, quæ est, ergo Luna eclipsatur, habet quatenus ipsum, seu secundum quod ipsum, idem enim significant, alioquin non esset quæsitum potissima demon- C D

stratione demonstratiuum, ergo per iactum fundamentum eclipsis debet compe
A tere lunæ ex ipsius lunæ essentia, non ex alia ratione; sed per Aristotelem affe- ctio alicuius subiecti non potest de eo demonstrari nisi per causam, propter quã tali subiecto competit, quæ quidem causa in uirtute ipsius secundum quod ipsũ non potest esse nisi eiusdem subiecti essentia, medium igitur ad demonstrandam eclipsim de luna erit lunæ essentia, non autem alia ratio, ergo minor propositio non potest esse nisi per se, cum in ea medium de subiecto, cuius est essentia, prædicetur, sed per eos illa non est per se, ergo demonstratio de lunæ defectu non est potissima contra propriam eorum determinationem. nec confugere possunt ad illud nouum dogma de duplici (ipsius quatenus ipsum) significatione, de quã duplici significatione superius disputatum fuit, quia ratio illa interna, quæ requiritur ad quatenus ipsum, pro ut idem est cum prædicato uniuersali; non potest esse nisi ratio subiecti, merito cuius statim sequitur, minorem propositionem debere esse per se in omni potissima demonstratione. nisi dicant, aliud esse (quate-
B nus ipsum) in demonstratione potissima, quæ fit per causam internam, aliud in demonstratione potissima, quæ fit per causam externam; quod quàm sit ex mente philosophi ipsis iudicandum relinquimus. Secundo, & ultimo, ad illud idem probandum accipio alterum philosophi, & eorum fundamentum, ut, scilicet, propositio non possit dici demonstratiua, nisi sit necessaria necessitate omnem contingentiam excludente, quæ nuncupari solet necessitas essentialis, seu, simpliciter, hoc iacto fundamento, argumentor sic, minor illa propositio, at inter lunam, & solem terrà interponitur, seu, luna inter se, & solem patitur terræ interpositionẽ; uel est demonstratiua, uel non est; si non est demonstratiua, demonstratio potissima constabit ex aliqua propositione non demonstratiua, quod est inconueniens; si uero est demonstratiua, per fundamentum erit necessaria necessitate omnem contingentiam excludente, sed huiusmodi non potest esse, nisi habeat prædicatum uniuersale; uerum non potest propositio dici uniuersalis, quin sit per
C se, cum minus cõmune, quod est ipsum uniuersale, contrahat ad se communius, quod est modus dicendi per se, ergo de primo ad ultimum; si illa propositio est demonstratiua, de necessitate sequitur, ut sit per se; formetur itaque ratio cã tegorica hunc in modum, omnes propositiones necessariæ necessitate essentiali sunt per se, sed omnes propositiones cuiuslibet demonstrationis potissimæ, uel sit illa à causa interna, uel à causa externa, sunt necessariæ necessitate essentiali, ergo omnes propositiones cuiuslibet demonstrationis potissimæ, siue sit illa à causa interna, siue à causa externa, sunt ꝑ se, minor igitur illius demonstrationis de lunæ defectu propter terræ interpositionem contra eorum sententiam erit per se, alioquin nõ esset necessaria simpliciter, atq; ideo non esset demonstratiua. maior huius rationis non indiget probatione, cum ex fundamento etiam ab illis concesso ueritatem sortiatur; & minor est philosophi ratione principiorum in primo posteriorum contextu septimo, decimo quincto, de-
D cimo sexto, decimo septimo, & decimo octauo, ratione uero conclusionis in septimo, decimo quincto, decimo sexto, & decimo nono. nisi dicant,

per principia Aristotelem intelligere medium, ita ut sensus sit, princi- A pia demonstrationis sunt necessaria, idest, medium potissimæ demonstrationis debet esse necessarium, non contingens, ubi non determinat, minorem debere esse necessariam; hæc responsio esset potius fuga, quam uera responsio, quia medium semper idem esse debet in utraq; propositione, ergo minor non secus, ac maior, erit necessaria, & præcipue ipsa minor, cum in ea medium sit prædicatum, à quo propositio recipit denominationem, si enim prædicatum fuerit contingens, tota propositio erit contingens, si uero necessarium, propositio quoque necessaria erit. fundamenta hæc, quorum uirtute de omni potissima demonstratione uerum est dictum illud philosophi in primo Posteriorum contextu decimo nono, uidelicet, propter ipsum igitur oportet & medium tertio, & primum medio inesse, si illi diligenter ponderassent, non tam plane eam philosophi auctoritatem interpretati fuissent, ut, scilicet, ibi solum de demonstrationibus per causas internas progredientibus Aristoteles intelligat; neque ita facile enunciassent, in demonstratione potissima summe B essentialem connexum esse debere affectionis tum cum medio, per quod demonstratur, tum cum subiecto, de quo demonstratur, medii uero cum subiecto non esse necessarium talem essentialem connexum; quia licet in demonstratione neque subiectum propter medium, neque medium propter subiectum sumatur, sed utrunque propter affectionem, non sequitur proinde, ut medii cum subiecto nō debeat esse necessarius connexus ille essentialis, cum affectio demonstranda non possit subiecto competere nisi ex eiusdem subiecti ratione, pro ut dictæ affectionis causa est effectrix; sicuti etiam non recte sequitur, dum inquiunt, nulla præstātior demonstratio pro Lunæ defectus scientia construi potest, quam per mediam terræ interpositionem, ergo demonstratio de Lunæ defectu per mediam terræ interpositionem est potissima, quia ad hoc ut aliqua demonstratio sit potissima, debet habere conditiones demonstrationi potissimæ requisitas, quibus uidetur carere illa demonstratio de Lunæ defectu per solam terræ interpositionem; non est enim in materia necessaria necessitate essentiali, quæ omnem contingentiam excludit, neque pro medio habet causam non causatam, in quibus duabus conditionibus tota potissimæ demonstrationis natura consistit. demonstrationem il- C lam non esse in materia necessaria simpliciter, ex eorum sententia clare patet, cū uelint, minorem illius demonstrationis non esse per se, nam si per se non est, nec est quidem uniuersalis, in qua conditione continetur necessitas essentialis, destructo enim communiori, destruitur quoque minus commune. pro medio uero non habere causam non causatam, quæ per Aristotelem in primo Posteriorum contextu trigesimo nono secundum ueterem sectionem facit maxime scire, satis manifestum est, cum per naturam Lunæ, ex eo, scilicet, quod à sole lumen recipit, & cum sole ita se habet, ut ei diametraliter opponi possit, demonstremus aliquando, Lunam terra obiecta deficere. demum potissimā non esse demonstrationem de Lunæ defectu per solam terræ interpositionem, ostendi D potest ex eorum uerbis, uolunt enim, (ut diximus sub initium præcedentis ca-

pitis) demonstrationem de lunæ defectu per mediam terræ obiectionem, quo A modocunque formetur, non facere fidem, nisi tanquam notum supponamus, lunæ lumen à radiis solaribus effici; si itaque in uirtute alterius medii fidem facit, per solum terræ obiectum non potest esse potissima. Hæc omnia (nisi fallor) ita uera sunt, ut ex ipsius rei inspectione illis quoque nota esse deberent, nisi, dum rerum naturas perscrutantur, nimium ab Aristotele recederent, ut faciunt in hac materia, cum philosophus nunquam in secundo Posteriorum potissimas dicat esse demonstrationes de lunæ defectu, de tonitruo, & de foliorum casu, illi uero affirmatiue oppositum existiment, quasi ex natura rerum Aristoteles non sit philosophatus; licet enim ibi earum, in quibus medium est tantũ causa effectrix passionis, meminerit, id solum (quantum coniicere possumus) hac de causa fecit, ut innueret, potissimæ demonstrationis medium, quamuis non possit esse nisi essentialis subiecti definitio, non debere considerari nisi ut propter quid affectionis demonstrandæ.

B

Dictum de omni posterioristicum reperiri in omnibus propositionibus illius potissimæ demonstrationis, quæ concluditur, hominem risibilem esse propter animal rationale.

CAP. XV.


PROBE (ni fallor) iam constituto, omnes propositiones illius potissimæ demonstrationis, qua ostensum fuit, hominem risibilem esse propter animal rationale, esse per se, & in quo modo, superest ut ostendamus, eas habere etiam dictum de omni posterioristicum; in quo negocio non multum laborabimus, cum de se pateat, eas habere uniuersalitatem subiecti, & temporis perpetuitatẽ, quæ duæ conditiones requiruntur ad dictum de omni posterioristicum; nam risibile C prædicatur in maiori propositione sub qualibet temporis differentia de animali rationali, & de omni contento sub illo, eodemq; modo animal rationale de homine in minori, nec non risibile de eodẽ homine in conclusione, ergo propositiones illæ habent dictum de omni posterioristicum. cum itaque hactenus demonstratum sit, omnes conditiones necessarii essentialis conuenire omnibus propositionibus potissimæ demonstrationis, concludendum est, nõ solum principia sed etiam eius conclusionem esse necessariam necessitate essentiali omnem contingentiã excludente, ex qua necessitate essentiali tota potissimæ demonstrationis natura emanat, cum per eam demonstratiuus syllogismus à quolibet alio syllogismo distinguatur.

Laus iterum, Honor, & Gloria Deo Optimo maximo, Qui Trinus, & Unus est.

D

FINIS.

 A




BERNARDINI PETRELLAE
LOGICARVM DISPVTATIONVM
Liber Quinctus

DE EA DEMONSTATIONIS SPECIE, QVAM VOCANT POTISSIMAM.

Explicatur primum corollarium è numero eorum, quæ ex ſimpliciter neceſſario inferuntur. B

CAP. I.



VM declaratum ſit præcedente libro, neceſſarium, circa quod uerſatur demõſtratio potiſsima, eſſe illud ſimpliciter neceſſarium, quod omnem contingentiã excludit, reliquum eſt, ut explicemus nonnulla corollaria, quæ ex eodem ſimpliciter neceſſario inferuntur, quorum primum eſt, non licere demonſtratiue tranſcendere de genere in genus, ideſt, de ſubiecto unius in ſubiectum alterius ſcientiæ. nam ſi liceret, media, C & extrema contra philoſophum non eſſent ex eodẽ genere, quamobrem principia, & concluſio non haberẽt prædicatum uniuerſale, cum termini diuerſarum ſcientiarum non ſint pares, & conuertibiles. per diuerſas ſcientias debent intelligi illæ, quæ habent diſtincta ſubiecta, ut Geometria, Arithmetica, & naturalis philoſophia, in quibus non datur huiuſmodi tranſitus, quia ſcientiæ, quæ habent diſtincta ſubiecta, ex neceſsitate habent etiã diſtinctas paſsiones, uel accidentia per ſe, nec non diſtincta media, cum unumquodque ſubiectum proprias paſsiones, earumq́ determinatas habeat cauſas; quare ſi in eis daretur tranſitus demonſtratiuus, propoſitiones, & concluſio (ut dictum eſt) non haberent ſecundum quod ipſum, & uniuerſale prædicatum, & propterea nõ eſſent demonſtratiuæ. cum itaque omnes termini demonſtrationis uni tantum determinatæ ſcientiæ accommodari debeant, propoſitionesq́ ex terminis conſtituantur, ſequitur, ut, ſicuti eoſdem terminos ſecundum unum, & eundem conſi D derandi modum diuerſæ ſcientiæ non contemplantur, ita neque eaſdem propo

ſitiones eodem modo conſiderare poſſint; præterea, cum ex propoſitionibus de
A monſtrationes formentur, diuerſæq; ſcientiæ iiſdem propoſitionibus eodem mo
do conſideratis non utantur, rationi conſonum eſt, ut etiam integra uti non
poſſint eadem demonſtratione; Tranſitus igitur de una in aliam ſcientiam dari
non poteſt nec ratione ſimplicium terminorum, nec ex parte propoſitionum,
nec demum ratione totius demonſtrationis, niſi quando unus ſcientificus alte-
rius habitum induit ad euitandos errores, qui contingere poſſent circa ea, quæ
determinanda ſunt in propria ſcientia, ut facit philoſophus in primo Phyſicorũ
à textu ſexto uſque ad quadrageſimum primum, nec non in primo de Anima,
& alibi, induens habitum Metaphyſici, eiuſq; rationibus utens; ſeu quando demõ
ſtratio per ſe facta in una ſcientia inſeruire poteſt conſiderationi, quæ in aliqua
alia ſcientia fieri debeat, ut uidere eſt de eadem demonſtratione, qua utitur Ari
ſtoteles in primo Phyſicorum contextu quinquageſimo primo, & in duodecimo
Diuinorum contextu ſexto ad probandum dari materiam primam; nec non de
B ea in octauo Phyſicorum contextu ſeptuageſimo nono ad probandum primũ
motorem impartibilem eſſe, quam repetit philoſophus in duodecimo diuinorũ
contextu quadrageſimo primo. Si uero in diuerſis ſcientiis ſubiectum eſſet uel
ſimpliciter idem, uel aliquo modo idem, non eſſet inconueniens de ſententia phi
loſophi in primo poſteriorum contextu uigeſimo ſecundum ueterem ſectionem,
dari in eis tranſitum demonſtratiuum, concludendo per medium unius ſcientiæ
paſsiones, ſeu per ſe accidentia de ſubiecto alterius ſcientiæ. per ſubiectum ſimpli
citer idem non eſt intelligendum ut ſit idem ex parte rei, quia abſurdum eſt in
diuerſis ſcientiis idem reperiri ſubiectum ex parte rei, ſed eſt intelligendũ (quem
admodum notat Auerroes in tertio Cœli commentario ſeptimo) ut ſit idem
ſecundum ſimilitudinem, quod patet de magnitudine, & numero, nam magnitu
do eſt per ſe ſubiectum in Geometria, cum Geometria per ſe primo de illa paſsio
nes demonſtret, nimirum, eſſe lineale, eſſe ſuperficiale, eſſe corporeum, & ſimilia;
C eſt quoque magnitudo ſubiectum in Arithmetica ſecundum ſimilitudinem, &
ex accidenti, quatenus ſcilicet numerus induit rationem magnitudinis, & ſic
Arithmeticus ſecundum ſimilitudinem, & ex accidenti geometrica demonſtra
tione ſpeculatur an dentur numeri lineales, ſuperficiales, & corporei; ſi corpo
rei, an cubi, uel non cubi, & ſimilia. numerus autem ex oppoſito per ſe eſt ſubie
ctum in Arithmetica, nam per ſe primo Arithmeticus demonſtrat de illo pro-
prias paſsiones, nempe, ut ſit par, aut impar, in Geometria uero eſt ſubiectum ſe
cundum ſimilitudinem, pro ut magnitudo ſubit rationem numeri, quare demon
ſtratione arithmetica contemplatur geometra, ſecundum ſimilitudinem tamen,
& ex accidenti, an detur magnitudo par, uel impar. per ſubiectum autem aliquo
modo idem in diuerſis ſcientiis intelligendum eſt illud ſubiectum, quod ab una
ſcientia ſecundum defectum, & ab altera ſecundum exceſſum conſideratur, ſicu
ti eſt ſubiectum ſcientiæ ſubalternantis, & ſubalternatæ, Geometriæ, ſcilicet, & per
D ſpectiuæ; Geometria enim phyſicam lineam conſiderat, ſed non quatenus eſt
phyſica, ideſt, non prout eſt in materia ſenſibili, uerum ſimpliciter, ut linea, & pro
ut eſt

ut est à materia sensibili separata; perspectiua autem mathematicam quidem li-
neam considerat, sed non quatenus mathematica, hoc est, non, pro ut est à mate
ria separata, sed quatenus physica est, addendo ei differentiam accidentalem, ni- A
mirum, uisuale, perspectiua enim considerat lineam pro ut uisualis est, quæ diffe-
rentia dicitur accidentalis lineæ, quia non est de eius ratione esse uisuale, sed lō
gitudo, cuius extrema sunt duo puncta.

Ex accidenti disputatur de scientiis subalternis.

CAP. II.

CVm de scientiis subalternis facta sit mentio, aduertendum esse duximus, su-
biectum materiale idem esse in subalternantibus, & subalternatis, ut patet
de linea in geometria, & perspectiua, sed eadem linea cum differentia illa acciden
tali, quam ei perspectiuus addit, redditur adeo proprium, & adæquatum perspe B
ctiuæ subiectum, ut nullo pacto sic considerata possit esse subiectum tale in geo-
metria, sicuti è contra linea cum defectu, idest, sine ulla additione, quatenus linea
est, adeo proprium, & adæquatum geometriæ subiectum fit, ut perspectiuæ ita
considerata nunquam huiusmodi subiectum esse possit, ex quo colligitur, defe-
ctum, & additionem in eis gerere uicem modi considerandi, cum linea, ut linea,
ad geometriam, ut autem uisualis ad perspectiuam contrahatur; nam si tam in su
periori, quàm in inferiori scientia subiectum ita alteratum esset idem, utraque
redderet quòd, quando inferior de suo subiecto demonstrat nonnullas passiones
per se competentes subiecto scientiæ superioris, at consequens est contra philoso
phum in primo posteriorum libro contextu uigesimo tertio secundum ueterē
sectionem, ubi ait, (subalternantem, & subalternatam scientiam differre, quoniā
ipsum quòd alterius scientiæ est, uidelicet, subalternatæ, subiectum namque genus
alterum: ipsum uero propter quid superioris, cuius per se passiones sunt,) ergo
contra philosophum erit etiam antecedens; nec obstat, quòd ibi dicat, (subiectū C
namque genus alterum,) quoniam in scientiis etiam non subalternis subiectum
penitus distinctum nuncupatur ab Aristotele alterum, ut patet in primo poste-
riorum contextu uigesimo sub initium, quando ait, (quorum autem genus al-
terum, quemadmodū arithmeticæ, & geometriæ, non est arithmeticam demon-
strationem coaptare ad accidentia magnitudinibus, &c. præterea, dato, quòd p
subiectum alterum in scientiis subalternis debeat intelligi (ut nonnulli uidentur
uelle) subiectum aliqua alteratione affectum, huiuscemodi alteratio applicata
facit earum scientiarum subiecta adeo inter se distincta, ut unum non possit
esse utriusque adæquatum subiectum: pro intelligentia huius inter eas discri-
minis; notandum est, eorum, quæ scientificùs inferior, uidelicet, perspe-
ctiuus de radiosa linea demonstrat, alia esse; quæ radiosæ lineæ insunt, D
quatenus linea est, nempe, ut sit recta, uel curua, nec non ut super ea

fieri poſſit triangulus æquilaterus,& his ſimilia, quæ omnia radioſæ lineæ con-
A ceduntur ex parte qua linea eſt, & ideo ſunt paſsiones ſuperioris ſcientiæ, nimi-
rum, geometriæ; alia uero eſse, quæ radioſæ lineæ inſunt ex parte qua eſt radio
ſa,ut,ſcilicet, radioſa linea ſuper re terſa,& polita reflectatur, quod non geome-
triæ,ſed ſolum perſpectiuæ paſsio eſt. hoc poſito,uult philoſophus, ut ſubalterna-
tæ ſcientiæ ſit reddere duntaxat quo'd quantum ad paſsiones,quæ de eius ſubie
cto demonſtrantur,licet ſint paſsiones ſcientiæ ſubalternantis, & huius rei ratio
eſt,quia ad eam ſcientiam ſpectat reddere quod, à qua conſideratur ſubiectum,
reddere uero propter quid ſuperioris eſt ſcientiæ,quoniam eius ſunt proprieta-
tes,quæ de ſubiecto inferioris ſcientiæ demonſtrantur, cum hoc tamẽ congruit,
ut inferior,ideſt, ſubalternata ſcientia poſſit quandoque reddere,& quo'd,& pro
pter quid,quod erit quando de ſubiecto ſuo demonſtrabit quæ in eo inſunt me
rito ſui;ut gratia exempli, ſi perſpectiuus demonſtraret de linea radioſa,ut eſſet
recta,aut curua,uel ut ſuper ea fieret triangulus æquilaterus, tunc perſpectiuus,
B non geometra, daret quo'd, quia perſpectiuus,non geometra, contemplatur li-
neam radioſam; propter quid autem non perſpectiuus, ſed ſolus geometra red
deret, huiuſq; rei ratio eſt, quia eſſe rectum,uel curuum, nec non fieri triangu-
lum æquilaterum accommodantur radioſæ lineæ, non quatenus eſt radioſa, ſed
ex parte qua linea eſt; uerum ſi perſpectiuus demonſtraret, radioſam lineam re
flecti ad rem terſam,uel politam, tunc non ſolum redderet quo'd,ſeu,quia, ſed
etiam propter quid; nec geometra aliquo modo ad huiuſmodi quæſita locum
habet,cum ea non conſideret,at ſi de ſuo proprio ſubiecto,nempe,de linea, ut li-
nea eſt,demonſtraret, eam eſſe rectam, uel curuam,ſeu fieri ſuper eadem linea da
ta triangulum æquilaterum,tunc non ſolum daret propter quid, ſed etiam qđ.
Et hæc de ſcientiarum ſubalternantium, & ſubalternatarum diſcrimine dicta
ſint ſatis; de conditionibus uero ad ſcientias ſubalternas requiſitis in præſenti lo
C co non diſputabimus, cum de illis eruditiſsime ab aliis diſputatum ſit.

Communis hæc opinio à nonnullis impugnatur.

CAP. III.

HAnc communem opinionem nonnulli euertere nitentes, inquiunt, ſen-
tentiam quidem omnium eſſe, ut, cum ſcientia inferior addat ſubiecto ſu-
perioris materiam, & ſenſilem qualitatem, ſubiectum illud è ſcientia ſuperio-
re acceptum, ut numerus ex arithmetica, ſit in inferiore, ut in muſica,
res conſiderata, qualitas autem adiecta, ut ſonus, ſit ratio formalis, & mo-
dus conſiderandi; quod quidem omnino falſum eſt, ſequeretur enim,ſcientiam
D inferiorem non eſse mathematicam,ſed partem ſcientiæ naturalis, nam ut quæ
libet res à forma conſtituitur, & nominatur; ita ſcientia omnis à modo con-
ſiderandi; ſonus autem, & uiſus ſunt res naturales, ergo ſi muſica con-

ſideraret numerum ut in ſonis, & perſpectiua lineam ut in uiſu, utraque abſque dubio eſſet ſcientia naturalis, quomodo igitur uerum eſse poteſt id,quód de his aſſerit Ariſtoteles, demonſtrationes omnes muſicas,& perſpectiuas fieri ex prin cipiis ſumptis è ſuperioribus ſcientiis ſubalternantibus?etenim non ne hoc esſet transferre principia de genere in genus? quomodo etiam fieri poſset ut demon ſtrationes factæ in muſica appellarentur arithmeticæ, & demonſtrationes factæ in perſpectiua uocarentur geometricæ, ut ſimiliter aſserit Ariſtoteles? quod ſi uerum eſt,& ſuperior mathematica eſt,debet inferior quoque eſse mathematica. ſolent præterea omnes dicere,ſubalternas non facere numerum, quod ſi uerum eſt,non poteſt inferior ſcientia eſſe naturalis, ſi ſuperior eſt mathematicá.cum igitur dicendum ſit,has omnes eſse mathematicas,& nullam ipſarum eſſe naturalem,neceſſe eſt,omnes fuiſſe deceptos, dum dixerunt, ſenſilem illam qualitatem eſſe in ſciétia inferiore modũ cõſiderandi.Nos igitur (inquiunt) poſt Auerroẽ primi huiuſce rei ueritatẽ declaremus, quã ex ipſo Auerroe didicimus in cõmẽtario ſexageſimo nono primi libri Poſteriorum,quem locum cum nemo hactenus intellexerit,non paruum operæ precium faciemus, ſi ipſum pro occaſione paucis uerbis declarauerimus. inquit ibi Auerroes, triplex dari ſcientiarum diſcrimen habita ratione ſubiecti, nam aliquæ differunt penitus in re conſiderata, quas etiam in modo conſiderandi differre neceſſe eſt, quia diuerſæ materiæ ad diuerſarum formarum receptionem diriguntur,tales ſunt arithmetica, & geometria,illa enim numerum,pro ut eſt numerus, hæc uero magnitudinem,quatenus magnitudo eſt,contemplatur.aliæ in re conſiderata non differunt, ſed in modo tantum conſiderandi,ut diuina ſcientia ens conſiderat, quatenus eſt ens, naturalis uero ens,quatenus eſt mobile; propterea hæ ſcientiæ diuerſæ ſunt, quia quæ à formis diuerſis conſtituuntur,etiã ſi materiã eãdẽ habeãt,res diuerſæ dicẽdæ sũt. Aliæ uero eãdẽ rẽ cõſiderant,ſed una cũ additione,altera cũ defectu;qđ tertiũ mẽbrũ propter ſubalternas ab Auerroe ponitur, ut oẽs confitentur, ſuperior .n.tractat eãdẽ rẽ cũ defectu ſenſilis qualitatis, quã inferior cũ talis qualitatis additione;ſed quia pingui mineruа alii dictũ hoc Auerrois accipiũt,nos pro fundius ipsũ cõtẽplari oportet;cũ.n. ſubiectũ utriuſque ſcientiæ habeat & rẽ cõſideratã,& modũ cõſiderãdi,uidẽdũ eſt in utra harũ duarũ partiũ Auerroes ſubalternarũ ſciẽtiarũ diſcrimen cõſtituat,nã ſi in ambabus differant, certum eſt,tertium,& primũ diuiſionis mẽbrũ in eundẽ ſenſum cadere, proinde non tria eſſe mẽbra,ſed duo; ſi uero in ſolo modo conſiderandi,non in re conſiderata, ſimiliter tertiũ mẽbrũ idẽ eſt,ac ſecundũ,quare duo tãtũ mẽbra ſunt,non tria,ergo remanet ut dicamus, Auerroem intelligere diſcrimen eſſe in ſola re conſiderata, non in modo cõſiderandi,quæ eſt re uera ſciẽtiarũ ſubalternarũ cõditio,ſic.n.facile eſt tueri,eas nõ facere numerũ, & eãdẽ ſciẽtiã eſſe, nõ duas diuerſas. dicimus igitur, has ſcientias in re conſiderata non penitus differre, ſed accidentali tantum differentia; in modo autem conſiderandi nullo pacto differre, ſed eundem ſeruari in ſubalternata, ac in ſubalternante conſiderandi modum; additio namque ſenſilis qualitatis (quod nemo hactenus intellexit) ſit ſoli rei conſi-

deratæ,non ipsi modo considerandi; ut in musica res considerata est numerus A sonorus, modus autem considerandi est ut numerus, non ut sonus; in perspectiua res considerata est linea in uisu accepta,modus autem considerandi est ut linea,non ut in uisu; quod ab Aristotele clara uoce prolatum legimus in tertio cap te libri decimi tertii metaphysicæ, quare hanc ipsius sententiam extitisse haudquaquam dubitare debemus; licet enim in particula uigesima secundi libri Physicorum contrarium dicere uideatur,dum inquit, perspectiuum considerare lineam non quatenus est mathematica,sed quatenus est naturalis;tamen non est dicendum Aristotelem sibi contradicere, sed pingui minerua ibi sumere hanc dictionem,quatenus, quæ ibi non significat modum considerandi,sed discrimen solum perspectiuæ, ac geometriæ qualecumque illud sit; cum enim hanc illi contraponat,ideo ad eam differentiam efficacius denotandam utitur ea uoce, quatenus, qua significaret perspectiuam uergere quodammodo ad naturalem, ob illam, quam diximus, accidentalem differentiam adiectam; at si putasset B perspectiuam esse uere naturalem,certe in principio eiusdem contextus non eã uocasset mathematicam. significauit etiam hanc sententiam Aristoteles in contextu sexagesimo nono primi libri posteriorum secundum Auerrois diuisionẽ, quando de subiecto inferioris scientiæ loquens,dixit ipsum esse alterum,idest,alteratum, subiectum enim scientiæ superioris nulla qualitate alteratum dicitur, sed subiectum inferioris,proinde non aliud esse dicitur,sed alteratum. Ex his igitur ratio facile colligi potest, cur perspectiua aliquando uocatur geometria, & musica appellatur arithmetica, & omni subalternatæ nomen subalternantis attribui potest; nam ubi idem penitus est modus considerandi,ibi eadem est forma constituens,à qua cuiusque rei nominatio sumi solet.

Tradita impugnatio refellitur.

C

CAP. IIII.

Respondentes ordinatim ad obiectiones,& primo ad primam,negamus,secuturum,sciẽtiam inferiorem esse partem scientiæ naturalis, modus enim cõsiderandi musicæ non est sonus,sed sonorum, & perspectiuæ non est uisus,sed uisuale esse; & licet huiusmodi subalternatæ scientiæ considerent formas in materia,quemadmodum naturalis philosophia,proinde non sequitur, eas esse partem scientiæ naturalis,quia philosophus naturalis considerat formas illas ex earum principiis substantialibus,ipsæ uero ex earum accidentibus; uidentur itaque perspectiua,& musica,quamuis inter mathematicas connumerentur, accedere potius ad naturam philosophiæ naturalis, quàm ad naturam mathematicæ disciplinæ, ut testatum reliquit philosophus in secundo Physicorum contextu D uigesimo; idcirco non tollitur quin aliquæ perspectiuæ,& musicæ demonstrationes fiant ex principiis sumptis è superioribus scientiis subalternantibus,

quando, scilicet, de subiectis scientiarum inferiorum demonstrantur passiones per se scientiæ superioris, nec tunc inconueniens est ex sententia Aristotelis in primo Posteriorum contextu uigesimo transferre principia de genere in genus, quamobrem demonstrationes aliquæ factæ in perspectiua optime appellantur geometricæ, & aliquæ in musica erectæ uocantur arithmeticæ, cum in illis principia, & media geometrica, in his autem arithmetica sint. quemadmodum itaque geometria, & arithmetica sunt mathematicæ, ita mathematicæ sunt perspectiua, & musica, quæ quidem subalternæ scientiæ secundum communem considerandi modum, quem possunt habere, non faciunt numerum, illum tamen faciunt secundum proprium considerandi modum, quare uera omnia remanent, quæ de subalternis asserit Aristoteles. Quod uero spectat ad illorũ opinionẽ, existimamus, eam cũ ueritate non conuenire, tũ quia rationi, tum quia philosopho aduersari uidetur; rationi quidẽ repugnat, quoniã si idem esset modus cõsiderandi geometræ, & perspectiui, idem ẽt esset utriusque modus definiendi, cũ modus considerandi sumatur à modo definiendi, & è contra, ergo perspectiuus deberet definire lineã uisualem eo modo, quo geometra definit lineã; sed consequens est falsũ, ergo & illud, ex quo sequitur. falsitas consequentis patet, quia geometra definiendo lineam, ait, linea est longitudo sine latitudine, cuius extrema sunt duo puncta, perspectiuus autem definiendo lineam uisualem, inquit, linea uisualis est longitudo habens latitudinem, & profunditatem, nam lineæ uisuali, cum sit corpus, supra longitudinem, quam accipit geometra in definitione lineæ, addit perspectiuus latitudinem, & profunditatem, quas à linea remouet geometra. contradicit quoque philosopho in secundo Physicorum contextu uigesimo, ubi asserit, modum considerandi perspectiuæ diuersum esse à modo considerandi geometriæ, cum uelit lineam physicam, quæ est terminus corporis naturalis, considerari à geometra mathematice, idest, simpliciter quatenus linea est, non quatenus est physica, mathematicã uero lineam à perspectiuo considerari quatenus physica est. non sumitur igitur dictio illa (quatenus) ab Aristotele (ut dicunt ipsi) pingui minerua, pro ut, scilicet, significat solum discrimen perspectiuæ, & geometriæ, qualecunque illud sit; sed accipitur semper pro ut modum considerandi, formalemq́ rationem significat, nec inde sequitur (ut declarauimus) perspectiuam esse partem naturalis philosophiæ. Ad Aristotelem uero in decimo tertio libro Diuinorum contextu tertio (admittendo nunc Aristotelis esse librum illum, ac decimum quartum) respondemus, hac de causa id ab eo dictum esse, quia aliquando perspectiua demonstrat de linea uisuali proprietates ei competentes, quatenus est linea, & musica demonstrat interdum de numero sonoro passiones ei competentes pro ut numerus est, & tunc non est inconueniens, ut subalternantes, ac subalternatæ scientiæ differant in re considerata, in modo autem considerandi concurrant, at inconueniens est dicere, semper geometriæ, ac perspectiuæ, nec non arithmeticæ, & musicæ esse eundem considerandi modum, non contradicit igitur Aristoteles sibi ipsi. hæc eadem responsio (nisi fallor) confirmationi ex Auerroe desumptæ in primo Posteriorum commentario

A B C D

sexagesimo nono optime satisfacere uidetur, nam quando scientia subalternata,
A nimirum, perspectiua, demonstrat de suo adæquato subiecto, nempe, de linea uisuali, ut sit recta, uel curua, quæ passio per se competit subiecto geometriæ, uidelicet, lineæ quatenus est linea, tunc necesse est, ut scientiæ subalternantes, & subalternatæ differant in re considerata, in modo uero considerandi conueniãt, & hoc pacto continentur in tertio Auerrois diuisionis membro; si uero considerentur scientiæ subalternantes, & subalternatæ prout demonstrant de suo adæquato subiecto passiones ei per se competentes, tunc absque ullo inconuenienti in secundo eiusdem diuisionis membro collocantur.

Alia duo corollaria explicantur.

C A P. V.

B
DEclarato primo corollario, quod ex necessario simpliciter infertur, ad reliqua duo explicanda accedimus, quorum alterum est, necessarium esse, ut conclusio potissimæ demonstrationis utranque propositionem uniuersalem habentis perpetua sit. cuius rei ratio est, quoniam principia, si sunt uniuersalia, sunt etiam necessaria, sempiterna, atque perpetua, cum uniuersale semper seruetur uel in aliquo ex suis singularibus, ut patet de uniuersali positiuo, de homine, scilicet, equo, & similibus; uel in sua causa cum temporis determinatione, ut uidere est de Lunæ defectu, qui semper est, quia semper in determinatis temporibus inter solem, & Lunam fit terræ interpositio, quæ est causa efficiens non uera dicti Lunæ defectus; sed ex ambabus propositionibus necessariis, sempiternis, & perpetuis non potest sequi nisi necessaria, sempiterna, atque perpetua conclusio, ergo e-
C xistentibus principiis potissimæ demonstrationis uniuersalibus, conclusio non potest esse nisi perpetua. Quoniam uero definitio est aut principium demonstrationis, aut demonstratio positione differens, aut conclusio quædam demonstrationis, idem esse debet iudicium de definitione, & demonstratione, ut, scilicet, non secus, ac demonstratio, sit perpetuorum; nec obstat Commentatoris auctoritas in primo de Anima commentario octauo, ubi ait, definitiones esse rerum particularium extra intellectum, quæ corruptibiles sunt, quia non affirmat Commentator esse corruptibilium definitiones, sed dixit hoc, ut denotaret, definitiones non esse uniuersalium extra animum actu existentium, ut uidebatur uelle Plato, sed eorum uniuersalium, quæ realiter à suis singularibus non separantur. Explicato secundo corollario, tertium aggredimur, quod est, ut conclusio demonstranda non possit sciri per principia communia communiter accepta, sed solum per sibi appropriata; nam si principia non essent appropriata demonstrandæ conclusioni, sed communiter accepta, non essent
D secundum quod ipsum, & propterea non essent uniuersalia; sed principia potissimæ demonstrationis esse uniuersalia disputatum est superius, ergo existenti-

bus principiis potisſimæ demonſtrationis uniuerſalibus, ſequitur de necesſitate, illa debere eſſe appropriata concluſioni eiuſdem potisſimæ demonſtrationis.

A

De modo præcognoſcendi principia, aliaq́ ſcientiæ ratiocinatiuæ præcognita.

CAP. VI.

HAEC appropriata principia in qualibet ſcientia ratiocinatiua diuerſo modo à duobus aliis præcognitis, à ſubiecto, ſcilicet, & à pasſione, præcognoſcuntur, nam de principiis ultra quid nominis oportet præcognoſcere quòd, ideſt, ea eſſe uera, de pasſione quid eius nomen ſignificet, de ſubiecto uero utrū que, quòd, ſcilicet, & quid nominis. ſed ne quiſpiam crederet, unam, & eandem eſſe præcognitionem quòd principiorum, & ſubiecti, aduertendum eſſe duximus, præcognitionem quòd, ſeu quia eſt, duplicem eſſe, ſimplicem unam, alteram cō B poſitam. præcognitio quia eſt ſimplex, quæ competit ſubiecto, idem ſignificat, ac præcognoſcere an conceptui uniuerſali, de quo aliqua pasſio quæritur, extra animum aliquid reſpondeat, quia ſat eſt in omni doctrina, & diſciplina ratiocinatiua de ſubiecto, ideſt, de conceptu illo uniuerſali præcognoſcere ut ſit in rerum natura, hoc eſt, ut exiſtat extra animum res aliqua particularis ei correſpōdens, non ut ſubiectum, uel conceptus ille debeat habere actualem exiſtentiam. præcognitio autem quia eſt compoſita principiis conueniens idem ſignificat, quod eſſe uerum ueritate propoſitionis de tertio adiacente, ideſt, ſignificat ueritatem inhærentiæ prædicati in ſubiecto per copulā, quod à præcognitione quia eſt ſubiecti remouetur, licet etiam ipſa ſignificet ueritatem propoſitionis, quia non ſignificat ueritatem propoſitionis de tertio, ſed de ſecundo adiacente, hinc factum eſt, ut hæc ſubiecti præcognitio ſimplex, illa uero principiorum compoſita nuncupetur. & quoniam tam de pasſione, quàm de ſubiecto præcognoſcitur C quid, quod duplex eſt, uidelicet, quid nominis, & quid rei; animaduertendum eſt, de pasſione præcognoſci ſolum quid nominis, de ſubiecto autem & quid nominis, & quid rei, & hoc in ſcientia particulari, nam medium, quod in potisſima demonſtratione præcognoſcitur, ſemper eſt quiditatiua ſubiecti definitio, licet non conſideretur ibi ut eius quiditas, ſed duntaxat ut propter quid pasſionis, in ſcientia uero uniuerſali non dedecet quæri poſſe de ſubiecto quid rei, dummodo præcognoſcatur quid nominis. ex hac præcognitionum diſtinctione apparet diſtinctio inter præcognita, ſubiectum enim diſtinguitur à principiis, quia de eo præcognoſcitur quid rei, ultra quid nominis commune omnibus præcognitis, & ultra quia eſt, de illis uero nequaquam; diſtinguitur etiam à pasſione, quoniā de ſubiecto præcognoſcitur quòd eſt, de pasſione autem demonſtratur, in qua D quidem præcognitione quòd, ſeu quia eſt, pasſio eodem modo à principiis diſtinguitur, ut, ſcilicet, de illis præaccipiatur, de ea uero monſtretur. hinc factum

est, ut Auerroes,& optime, in quæsito primo demonstratiuo de conditionibus A principiorum demonstrationis dixerit, in demonstrationibus esse tres res, idest, tres terminos naturaliter distinctos. sed notandum est, non semper in his tribus præcognitis locum habere attributas præcognitiones, nam quando principia,& subiectum sunt nobis manifesta solum quo ad quid nominis, reiiciuntur quo ad hoc, & præcognoscuntur quo ad esse uerum, & è conuerso, quando sunt nobis manifesta solum quo ad esse uerum, refutantur quo ad hoc, & præcognoscuntur quo ad quid nominis,quãdo uero sunt clara quo ad utrunque, quo ad utrunque repudiantur,sicuti quo ad utrunque præcognoscuntur,quando quo ad neutrum nobis patent; & hoc idem uerum est de passione quo ad eius quid nominis,ut,scilicet, illud aliquando despiciamus, si nobis manifestum fuerit.

De conuersione potissimæ demonstrationis in definitionem, impugna-
B *tur eorum opinio, qui existimant, maius extremum prædicta demonstrationis semper esse propriam passionem, nunquam eius genus.*

CAP. VII.

HIS explicatis, quæ ad potissimæ demonstrationis constitutionem concurrere,eamq́; consequi uidebantur,reliquum est, ut aliquantulum digrediamur circa modum, quo definitio passionis ex demonstratione elicitur,& rursus in demonstrationem redigitur, cum dictum fuerit sub initium tertii libri, nos de potissima solum demonstratione esse uerba facturos, quæ potentia est tota passionis definitio per eam demonstratæ. dicimus itaque inter omnes definitionis species
C alicuius passionis ab Aristotele positas in primo Posteriorum contextu uigesimo secundo, & in secundo libro contextu decimo, eam omnium perfectissimam esse, quæ constat ex causali, & essentiali definitione illius passionis, nam accidentia propria, præter essentialem definitionem constantem ex genere, & differentia, habent extra causam aliam, à qua fluunt; hæc tertia definitio, quæ ex illis duabus prouenit, sola terminorum positione à demonstratione differt, eadem enim oratio (inquit Aristoteles) alio modo dicitur, & sic quidem demonstratio continua, sic autem definitio; & hoc non alia de causa, nisi quia utraque eosdem habet terminos, alioquin non esset eadem oratio. Quæ sententia maximum facessit negocium Aristotelis expositoribus, non ex parte medii, & minoris extremi, quia omnes communiter existimant, medium esse causalem definitionem passionis demonstrandæ, minus uero extremum esse differentiam essentialis definitionis eiusdem passionis, sed solum ratione maioris extremi,cum diuersi in hoc
D diuersa dicant; alii enim affirmant, illud semper esse propriam passionem, nunquam passionis genus, alii semper propriæ passionis genus, nunquam eiusdem passionis nomen, nonnulli uero inter hos medii tam nomen passionis, quàm

eius

eius genus, existimantes maius extremum semper esse propriam passionem,nun
quam passionis genus, non leues contra se habent obiectiones, quarum prima
huiusmodi est, si demonstratio, ac definitio idem re esse debent, ex eisdem termi A
nis constituantur necesse est, at in definitione omnino ponendum est genus affe-
ctionis definitæ, ergo illud idem in demonstratione quoque exprimendum est,
igitur uel in maiori extremo, uel in minori; uel in medio, non in minori, quia
ibi ex communi omnium consensu collocatur subiectum,quod est differentia paſ
sionis demonstrandæ; neque in medio, quoniam locum medii occupat causa,per
quam demonstratur maius extremum de minori, ergo in maiori extremo,in eo
igitur non potest collocari propria passio. Secunda obiectio est, si in maiori ex
tremo poneretur propria passio ut pars demonstrationis, in definitione contine
retur ut pars nomen rei definitæ, consequens est falsum, in hominis enim defini
tione homo collocari non potest, ergo & antecedens; falsitas consequentis est
philosophi in sexto Topicorum libro capite tertio, consequentia uero hunc in
modum probatur, tota demonstratio, cum sit potentia definitio, in totam defi-
nitionem mutatur, ergo quidquid demonstrationis pars est, idem definitionis B
quoque ut pars sit necessarium est, quare si propriæ passionis nomen pars sit de-
monstrationis, pars etiam definitionis erit. demum, non esse maius demonstra
tionis extremum semper propriam passionem, testis est ipsemet philosophus in
contextu octauo secundi Posteriorum libri, ubi exempla demonstrationis ad-
ducens, sumit genus passionis pro maiori extremo, non passionem, non enim
sumit tonitrum, sed sonum, nec sumit eclipsim, sed defectum tanquam genus
ipsius eclipsis, etenim in nube sonum inesse demonstrat, & in Luna defectum.

Impugnatur eorum opinio, qui arbitrantur, maius extremum potissimæ demonstrationis semper debere esse passionis genus, nunquam eius nomen.

C A P. V I I I. C

EX altera parte asserentes maius extremum potissimæ demonstrationis sem-
per debere esse passionis genus, nunquam eius nomen propter rationes su-
perius adductas, habent & ipsi contra se non spernendam instantiam,quæ huiuſ-
modi est, si passionis genus in maiori extremo poneretur, ut gratia exépli,si de-
fectus,seu priuatio luminis poneretur loco eclipsis, quæ de Luna demonstratur p
terræ interpositioné,cóclusio,& maior propositio potissimæ demóstrationis non I
essét uniuersales,cósequés é falsũ,& cótra philosophũ in toto primo Posteriorũ
Libro, ergo & antecedens, consequētia probatur,quoniã priuatio luminis in aliis
quoque præter Lunã cótingere potest sine ulla terræ interpositione,ergo latius
patet,quàm Luna, terræq; interpositio,cũ nó oís priuationis luminis causa sit ter D
ræ interpositio, confirmatur huius opinionis falsitas auctoritate philosophi plu
ribus in locis tam primi, quàm secundi Posteriorum libri, & præcipue in uige-

simo,& uigesimo quincto contextibus primi libri, ubi inter illa tria,quæ ait esse
A in demonstrationibus, & in omni demonstratiua scientia, recenset passiones,
non passionum genus, asserit enim in uigesimo contextu subiecti passiones,&
per se accidentia declarari à demonstratione, & in uigesimo quincto, demonstratiuam scientiam subiecti per se passionum esse speculatiuam, quod penitus erroneum esset, si loco maioris extremi semper in potissima demonstratione deberet collocari passionum genus, nunquam earum nomen.

Corroboratur nonnullorum opinio media. CAP. IX.

QVI mediam sequuntur opinionem,contra se ipsos habent omnes commemoratas obiectiones,quas ut de medio facilius tollere possint,atq; ideo ut ualidioribus argumentis sententiam suam corroborent, quędā prius tanquā fundamenta uolunt esse notanda,& in primis,ut nemo ad demonstrandum aliqđ accidēs accedere possit,nisi prius intelligat quid eius nomē significet,oēs .n. demon
B strationis partes ex Aristotele ante demonstrationē aliquo modo sunt præcognitæ,principia quidē,& subiectū tū quid significet nomen, tum quod sint, affectio uero quid nomē significet,sed nō quod sit,hoc .n. quæritur, ac demonstratur, significatio autē nominis intelligi nō potest,nisi cognito rei genere,uel propinquo uel remoto, quid .n. nominē tonitrus significetur nunquā intelligemus, nisi cognoscamus esse sonū quendā; ita nomē eclipsis si quis debeat intelligere,priuatio nē quandā esse luminis intelligat necesse est; cōmunis .n. conditio omnis definitionis siue perfectæ,siue imperfectæ,& oīs descriptionis est,ut in ea genus aliquod rei,quā definire,uel describere uolumus,exprimatur, in differentiarū postea assūptione discrimen definitionū consistit. sed quoniam genus rei latius patet, quàm res ipsa,ideo secundo adnotandū esse uolunt,ut ad nomen rei declarandū non suf
C ficiat genus, nisi aliqua differentia ipsum coarctans,& ad certā speciē significandā restringens addatur,propterea generi accidentis additur propriū subiectum, quod differentiæ locum tenet, ex quibus duabus partibus ea accidentis definitio efficitur,quæ nominalis uocatur, & hæc, licet essentialis, siue quiditatiua appellari soleat,non uocatur essentialis ratione utriusque partis, sed solum ratione formæ, per quam solam accidentis proprii essentia significatur,nam subiectum, cum extra accidentis proprii essentiam, & prædicamentum maneat, non adiicitur ut pars essentiæ, aliter unum prædicamentū cōtra sententiā philosophi esset de essentia alterius, sed tanquam necessaria conditio ad restringendam acciden
D tis proprii essentiam, nisi (Logicè loquendo) dicatur, eatenus subiectum esse partem essentiæ, quatenus est pars essentialis definitionis accidentis proprij, cuius genus uel à subiecto (ut dictum est) restringitur, uel à differentia quadam potentiali cogitata, ac subintellecta, quam ab eo subiecto deducimus. & quamuis genus ipsum secundum se non significet nisi genus, siue una uoce, siue pluribus uocibus exprimatur, ratione tamen differentiæ cogitatæ significat nominalem definitionem, & ideo non sumitur ut genus, & ut amplius, &

communius,sed ut æquale, immo ut idem prorsus quod nomen, seu definitum; hinc fit,ut Auerroes,& optime,in quadragesimo septimo commento secundi libri Posteriorum, accidentis proprii genus in conclusione prædicatum modo ap pellet genus, modo orationem declarantem nomen; nec non in commentario quadragesimo primo eiusdem libri formans demonstrationem tonitrus, ait, se in maiori extremo accipere loco tonitrus orationem declarantem significationem nominis tonitrus,tamen nullam orationem pro maiori extremo accipit,sed solam uocem (sonus) hanc enim uocat orationem,quia non sumit eam ut genus,sed ut orationem nominis declaratricem. his positis notandis, per ea facile corroborant sententiam propriam,ut,scilicet,tam nomen affectionis, quàm eius genus possit in demonstratione potissima poni maius extremum, nam si genus sumitur ut definitio nominalis, quæ ante demonstrationem debet esse cognita, & definitio idem prorsus est ac definitum,possumus utrum duorum uoluerimus in maiori extremo collocare. uerum quamuis in nostro arbitrio constitutum hoc sit, tamen Auerroes multis in locis,præsertim in commentario quadragesimo septimo secundi Posteriorum melius esse censet declarationem nominis accipere,quàm ipsũ nomen; cuius rei duas afferunt rationes,quarum altera,quæ ex eodẽ Auerrois cõmẽtario sumitur,est,quia cũ demõstratio sit potestate definitio,& definitionis gratia cõstituatur,illa demõstratio,quæ est definitio potestate proxima melior,atq; exquisitior est ea demõstratione, quæ potestate tãtũ remota est definitio, (dicitur autẽ demonstratio esse definitio potestate proxima,quãdo nulla pars definitionis pfectæ in demõstratione desideratur,potestate uero remota,quãdo nõ oẽs eiusdẽ definitionis partes in demonstratione exprimuntur) sed demõstratio,in qua loco maioris extremi ponitur affectionis genus, est definitio potestate proxima,cum in ea nulla pars perfectæ definitionis illius affectiõnis desideretur; & demonstratio pro maiori extremo affectionis nomen habẽs, est definitio potestate remota,cum in ea non sit expressum eiusdẽ affectionis genus,ergo demonstratio,in qua loco maioris extremi ponitur affectionis genus, melior,atq; exquisitior est ea demonstratione,in qua pro maiori extremo collocatur eiusdem affectionis nomen. altera ratio est,quoniam melius est notioribus uocibus uti,quàm ignotioribus,sed nobis notius est genus, quàm speciẽs,notior enim nobis est sonus, quàm tonitrus, & notior priuatio luminis, quàm eclipsis,cuicunque enim notus est tonitrus,eidem sonum quoque cognitum esse necesse est,non tamen è conuerso,plures.n. inuenies,quibus notus est sonus in multis rebus naturalibus,qui nullã tonitrus notitiam habent,ita plurimi sunt,qui dari luminis priuationẽ cognoscũt, sed eã, quæ in Luna fit,ignorant, ergo demonstratio, quæ pro maiori extremo habet affectionis genus, melior est ea demonstratione,quæ habet eiusdẽ affectionis nomen. corroborata propria sententia,soluunt argumenta, quæ aduersus extremas opiniones adducta fuerunt; ad primum argumentum contra eos, qui putant,maius extremum semper debere esse affectionis nomen; dicunt, non esse necessarium,ut in demonstratione exprimatur affectionis genus, licet enim non exprimatur, supponitur tamen ex

A B C D

A necessitate cognitum ante demonstrationem, proinde illa demonstratio est definitio, si non potestate proxima, at saltem remotiore, quia facta demonstratione, additur nullo negocio genus ipsum præcognitum in extractione definitionis. ad secundum argumentum negant consequentiam, ad probationem respondēt, quando demonstratio in definitionem conuertitur, non remanere nomē passionis ut est pars definitionis, sed ut definitum, cuius ea definitio esse dicitur, genus uero additur ut definitionis pars non expressa in demonstratione, sed ante demonstrationem cognita. ad Aristotelis auctoritatem dicunt, cum nomen affectionis, & eius genus accipiantur à philosopho ut unum, & idem, non ut diuersa, ibi sumere Aristotelem genus affectionis pro eius nomine. Ad argumentum contra eos, qui existimant, maius extremum semper debere esse affectionis genus, nunquam eius nomen, respondent, non sumi genus affectionis, ut genus est, & ut latius patens, sed ut æquale, immo ut idem, quare conclusio est per se, & uniuersalis, non enim omnis priuatio luminis in Luna inesse demonstra-

B tur, sed illa solum, quæ dicitur eclipsis; per se quoque, & uniuersalis est maior propositio, nam maius extremum non est latius termino medio, dum sumitur coarctatum, & restrictum ad hanc speciem, cuius gratia extruitur demonstratio, ergo medium est æquata causa maioris extremi, & cum eo reciprocatur, & propterea maior propositio est uniuersalis. ad Aristotelis auctoritatem locis citatis respondent, philosophum, licet inter terminos demonstrationem ingredientes explicite non posuerit genus affectionis, sed eius nomen, posuisse illud implicite, quia idem sunt, idem enim gratia exempli sunt eclipsis, & priuatio luminis, nec non tonitrus, & sonus, quare absque ullo discrimine utitur nomine, & genere affectionis.

C *Media opinio confutatur, propriaq; sententia ponitur.*

C A P. X.

CVM media opinio non omnino uera esse uideatur, ad credendum inducor, extremarum alteram ueram, alteram falsam esse; quæ autem uera, & quæ falsa sit, ostendi minime potest, nisi ultimum eorum fundamentum perpendatur, uidelicet, genus essentialis definitionis accidentis proprii uel à subiecto restringi, uel à differentia quadam potentiali cogitata, ac subintellecta, quam ab eo subiecto deducimus. genus essentialis definitionis accidentis proprii, cum eo latius pateat, coarctari debere, & ad ipsum restringi per subiectum, cui inhæret, tā quam per differentiam, satis, superq; id testatum reliquit philosophus in septimo Diuinorum pluribus in locis, nam hoc pacto contractum genus fit eiusdē acci-

D dētis proprii nominalis, seu essentialis definitio, quæ cum definito conuertitur, & cū eo facit propositionē uniuersalē; sed difficultas est de genere, quādo prædicatur de subiecto, qđ ponitur loco differētiæ, cū accidētia propria ab aliis diffe-


rat per illud, cui inhæret, ut permaneā in eorū exemplo, cum genus ad eclipsim, nimirum, priuatio luminis, seu defectus, prædicetur de Luna, quæritur, an de ea prædicetur in sui communitate, uel contracte ad eclipsim; non contracte, A quia tunc genus esset contractum uel à differentia illa potentiali cogitata, ac sub intellecta, quam à subiecto deducimus, uel ab ipso subiecto; si à differentia, quam à subiecto deducimus, frustra luminis priuationi, seu defectui adderetur Luna in extrahenda eclipsis definitione ex demonstratione, cum defectus sit restrictus ad eclipsim per differentiam potentialem cogitatam, ac subintellectam, quam à Luna deriuamus; si uero à subiecto, nugatoria esset prædicatio, quando in conclusione dicitur, ergo Luna priuatur lumine, quia idem esset, ac si diceretur, ergo Luna priuatur lumine Lunæ, fieri enim non potest, ut essentialis, seu nominalis definitio alicuius accidentis proprii de subiecto, quod est eius differentia, prædicetur absque nugatione, si genus illius accidentis debeat ad illud contrahi per subiectum, cui inhæret; sequitur itaque ut de Luna in sui communitate prædicetur uel priuari lumine, uel deficere, ergo illius demonstrationis, in qua pro maiori extremo ponitur loco passionis genus eius, nec maior, nec conclusio esset B uniuersalis, & propterea demonstratio illa non esset potissima. hac posita prædicti fundamenti consideratione, eorum responsio non dissoluit obiectionem factā contra putantes, maius extremum in demonstratione debere semper esse passionis genus, nunquam eius nomen; quamobrem credimus magis esse ex sententia philosophi primam, quàm secundam opinionem, propterea primam esse ueram, & secundam falsam. sed quoniam primæ opinionis ueritatem nonnullæ in contrarium motæ dubitationes infirmare uidebantur, eis respondere conabimur, iactis prius his duobus fundamentis, quorum primum sit, ut, scilicet, propria passio unum significet, & alterum denotet, significat quidem suam formam, quæ sumitur aliquando pro eo, cuius est forma, & denotat subiectum, cui inhæret, ut gratia exempli, simitas, quæ est nasi passio, significat curuitatem, quæ forma simitatis est, & denotat nasum sibi subiectum, si ei nasus non addatur, quoniam tunc intellectus in simitatis intellectionem ratiocinatur, & tendit ad nasum tanquam C ad terminum emanationis simitatis, cum passio à subiecto fluat; at quando simitati additur nasus, non amplius eum simitas denotat, quare intellectus quiescit, & amplius ad nasum tanquam ad simitatis terminum non ratiocinatur, nasus itaque additus simitati non efficit nugationem; & illud, quod dictum est de simitate, & naso, uerum etiam est de risibilitate, & homine, de eclipsi, ac Luna, & de similibus, ut, scilicet, homo additus risibilitati, & Luna addita eclipsi non efficiant nugationem, sicuti nugationem efficiunt quando homo additur essentiali risibilitatis definitioni, quæ est, aptitudo hominis ad ridendum, & quando Luna additur essentiali eclipsis definitioni, quæ est, priuatio luminis Lunæ, seu priuatio luminis in Luna, in illis enim definitionibus, quæ de suis definitis prædicātur, exprimuntur homo, & Luna, quare bis in propositionibus ponuntur homo, & Luna, in subiecto, scilicet, & prædicato, quando dicimus, homo habet aptitu D dinem hominis ad ridendum, & Luna priuatur lumine Lunæ, uel priuatur lumi

ne in Luna. secundum fundamentum sit, aliquando sumi definitionem explica
A tem nominis significationem pro ipsamet nominis significatione ; sicuti accipi solet definitio exprimens rei quiditatem pro ipsamet rei quiditate. his positis fu damentis, formaliter ad obiectiones respondemus, & primo ad primam, licet de monstratio, ac definitio idem re esse debeant, non est necessarium, ut ex eisdem terminis omnino constituantur, nam genus in definitione contrahitur per diffe rentiam, & ita contractum prædicatur de definito in primo modo dicendi per se, cum sit essentialis eius definitio, in demonstratione uero non potest contracte prædicari de minori extremo, quod est definitionis differentia, sine nugatione; ut patet per ea, quæ diximus in primo fundamento ; quamuis itaque passio, & eius genus non sint iidem termini uoce, seu dictione, sunt tamen iidem significa tione, & essentialiter, quod sat est ad hoc, ut demonstratio, ac definitio sint idem re, hinc fit, ut facile passio, quæ in demonstratione est maius extremum, mutetur in suum genus, quando demonstratio conuertitur in definitionem. Ad secun
B dam obiectionem, negamus consequentiam, ad probationem respondemus, quã uis tota demonstratio in totam definitionem mutetur, non sequitur propterea, ut quidquid demonstrationis pars est, idem quoque definitionis pars esse debeat, quia demonstratio non est actu, sed potentia definitio ; si demonstratio esset actu definitio, absque ullo dubio ratio esset alicuius momenti, uerum (ut dictum est) cum sit potentia definitio, non concludit ; quando enim demonstratio sit actu definitio, passio, quæ demonstrationis erat maius extremum, redditur definitum, & passionis essentia collocatur in eius definitione ut genus, & propterea ut pars ; cum itaque definitio quid nominis sit oratio explicans quid si gnificat nomen, non potest nomen ipsum ingredi definitionem ut pars, sed eius significatio, quæ in ea locum generis occupat. ad Aristotelem in contextu octauo secundi Posteriorum libri respondemus, eum accipere ibi nominis, seu
C passionis significationem pro nomine significante, uel pro ipsamet passione, essen tialiter enim idem sunt eclipsis, & defectus, nec non tonitrus, & sonus, diffe runt solum in hoc, quia eclipsis, & tonitrus denotant subiectum determinatum, nam eclipsis denotat Lunam, & tonitrus nubem, defectus uero, & sonus denotant subiectum indeterminatum, cum plura, & diuersa subiecta respiciant. demum ad Auerrois auctoritatem in secundo Posteriorum commentariis qua dragesimo primo, & quadragesimo septimo, quam perpenderunt mediam opinionem sequentes aduersus primam opinionem, respondemus per secundum fundamentum, ibi commentatorem accipere definitionem declarantem nomi
D num, seu affectionum, nempe, eclipsis, & tonitrus significationem, pro ipsamet eorum nominum, seu earum affectionum significatione, idest, pro defectu, quem solum significat eclipsis, & pro sono, quem significat tonitrus, alioquin non posset aufugere nugationẽ, quando prædicatur defectus, ut definitio eclipsis, de Luna, & sonus, ut definitio touitrus, de nube, sed illæ demonstrationes non sunt potissimæ, ut probatum fuit, quando, scilicet, genus affectionum communiter acceptum prædicatur de earundem affectionum subiecto, quod gerit uicem

differentiæ,quare secunda ratio,quam illi adducunt ad ostendendum pro Auer
roe melius esse genus affectionum , quàm affectiones inter demonstrationis ter
minos collocare,non ualet nisi in hoc , ut tunc facilius ex illa demonstratione A
eliciatur definitio.Quo ad primam rationem dicimus,Auerroem, quando uult
melius esse in demonstratione declarationem nominis, seu nominis definitionē
accipere, quàm ipsum nomen, non intelligere ut nominis,seu passionis definitio
de differentia prædicetur , propter causam superius adductam, idest, propter
nugationem, quæ in illa prædicatione fieret,sed de nomine, aut de passione, tūc
enim secundum ipsum demonstratio est definitio potentia proxima: uerum hu
iusmodi demonstrationes,in quibus essentialis,seu nominalis affectionis definitio
de ea concluditur per aliam eiusdem affectionis causalem definitionem, mihi sē-
per fuerunt suspectæ,quamuis Auerroes uelit,eas esse præcipuas inter omnes po
tissimas demonstrationes;& fundamenta,quibus inducor ad id credendum,sunt
eiusdemmet Auerrois,nam in secundo posteriorum commentario trigesimo o-
ctauo ait,quòd prædicatio definitionis de definitione est ueluti prædicatio pro-
prii de proprio,at prædicatio proprii de proprio (inquit ipse) non est per se,non B
est igitur per se prædicatio definitionis de definitione , quæ quidem prædicatio
definitionis de definitione semper in maiori dictarum demonstrationum propo
sitione reperitur. Præterea, pluribus in locis asserit Auerroes, demonstrationē
dirigi ad illud,quod est ignotum, sed nominalis affectionis definitio semper est
nota, cum ante demonstrationem de affectione præcognoscatur quid significet
nomen,ergo secundum Auerrois principia huiusmodi demonstrationes mihi su
spectæ uisæ sunt. melius itaque fortasse dicendum esse existimamus, sumi debere
in potissima demonstratione pro maiori extremo potius nomē affectionis,quàm
eius genus,seu nominalem definitionem, ex qua demonstratione facillime pau-
cis mutatis elicitur affectionis definitio cum causa , propterea quòd facile muta-
tur affectio in suum genus,cum ante demonstrationem sit præcognita affectionis
definitio nominalis,quæ eius genus est; posito itaque loco affectionis eius gene
re, tota affectionis definitio elicitur,ut gratia exempli,demonstratur de homine C
risibile esse , idest, homini risibilitatem inesse per animal rationale,si modo loco
risibilitatis ponatur eius genus,uidelicet, aptitudo ad ridendum , quod quidem
risibilitatis genus de ea ante demonstrationem præcognoscitur,hæc elicitur de-
finitio,uidelicet,aptitudo ad ridendum hominis propter animal rationale , quæ
de risibilitate tanquam de suo definito uere enunciatur . Et hæc satis dicta sint
de iis,quæ ad potissimæ demonstrationis principia pertinent.

Laus,Honor,et Gloria Deo Optimo Maximo,
Qui Trinus,et vnus est.

FINIS. D


A 

BERNARDINI PETRELLAE LOGICARVM DISPVTATIONVM

Liber Sextus

DE SPECIEBVS DEMONSTRATIONIS.

PRAEFATIO.



VM de principiis illius demonstrationis, quæ potissima nuncupari solet, in ordine ad conclusionem tribus superioribus libris satis, superq; dictum fuerit, de eius medio ratione extremorum nunc uerba facere decreueram; sed quoniam difficultas hæc supponit aliam de speciebus demonstrationis, non inutile iunioribus fore mecum ipse cogitaui, si eam prius examinandam susciperem, qua in re duo præcipue consideranda sunt, primum, numerus specierum demonstrationis, an tres, uidelicet, quia, propter quid tantum, & potissima, uel solum duæ sint, quia, scilicet, & propter quid; secundum, quæ differentia sit inter potissimam, & propter quid tantum, si tres constituantur, aut essentialis, aut accidentalis, nam inter demonstrationem quia, & alias species essentialem distinctionem esse, apud grauissimos Aristotelis interpretes nulla controuersia est.

B

C

Disputationis termini explicantur.

C A P. I.

QVOD attinet ad primum disputationis membrum, placet eius terminos aperire, ne ulla inter disputandum oriatur confusio. dicimus itaq; , demonstrationem quia pregredi uel a causa remota, ut gratia exempli, quando demon

D stratur, parietem non respirare, quia non est animal, uel ab effectu ad causam, ut si aliquis per non scintillare probaret planetas prope esse, seu per risibile esse concluderet hominem esse rationalem, huiusmodi progressus, qui fit ab effectu ad

ad cauſam, dicitur demonſtratio quia, ſeu à poſteriori, ab effectu, demonſtratio
ſigni, & ut ſit ſolum, quia ſolum nobis eſſe cauſæ oſtendit, quod prius erat igno
tum. demonſtratio uero propter quid tantum progreditur à priori ad poſte- A
rius, uel à cauſa proxima ad cauſatum,quæ alio nomine appellatur, demonſtra-
tio ſecũdi ordinis, ſecũdæ mẽſuræ,& cauſæ tantum,propterea quod oſtendit no
bis tãtũ propter quid effectus,cum in ea ratione fiat progreſſus ab eſſe cauſæ no
to ꝑ demõſtrationẽ quia ad propter quid effectus ignotũ,ut ſi retrocedamus ab
eſſe propè planetarũ nobis noto ꝑ nõ ſcintillare ad propter quid ipſius nõ ſcin
tillare planetarum,nec non à rationalitate hominis nota nobis ꝑ riſibile eſſe ad
propter quid riſibilitatis in eodem homine. huiuſmodi progreſſus uocatur de-
mõſtratio propter quid tãtũ. demũ potiſſima demonſtratio illa eſt, quæ progre
ditur etiã à cauſa ad cauſatũ nota tamẽ natura quatenus cauſa,&nobis non me
diate,ideſt,non mediante demõſtratione quia, ſed immediate,uidelicet,beneficio
ſenſus,quatenus,ſcilicet,huiuſcemodi cauſa eſt nobis ſẽſata,ut,gratia exẽpli,ſi fiat
ratiocinatio ab eſſe propè planetarum natura,& nobis immediate noto ad pla
netas non ſcintillare nobis ignotum,talis progreſſus dicitur demõſtratio primi B
ordinis, primæ menſuræ,potiſsima,abſoluta,ſimpliciter, potentia definitio tota,
declaranſq; utrunque quæſitum ignotum,eſſe,ſcilicet, & propter quid effectus.

Sententia propria. CAP. II.

TErminis ſic explicatis,primũ quid hac in re ſentiamus in medium afferre de
creuimus. Auerroes in primo Poſteriorum.8.& .95. commentariis, in Epi-
logicis tractatu de demonſtratione non longe à fine , & ſecundo cæli commẽ
tario.35. exiſtimans demonſtrationẽ analogice prædicari de potiſsima,propter
quid tantum,& quia , tres demonſtrationis ſpecies conſtituit. de demonſtratio-
ne potiſſima,ſeu ſimpliciter,& de demonſtratione quia,uel ſigni mentionem facit
Commentator in primo Phyſicorũ com. 2. de demonſtratione uero propter
quid, aut cauſæ tantum loquitur in primo Poſteriorum com. 97. & in octauo C
Phyſicorũ com. 65.quæ Auerrois diuiſio ualidiſsimæ innititur rationi,nam qđ
demonſtratur neceſſe eſt ut demonſtretur per mediũ eſſentiale, qđ ſit uel prius,
uel poſterius re ipſa demonſtranda; ſi demonſtretur per medium,quod ſit poſte
rius re ignota demonſtranda, tunc exoritur demonſtratio quia largiens ſolum
eſſe ipſius cauſæ ; ſi uero demonſtretur per medium , quod re demonſtranda ſit
prius,illud medium uel erit inuentum,uel non,ſi non erit inuentum, ideſt, ſi nõ
erit nobis notum per aliud, hoc eſt, per demonſtrationem quia , ſed immedia-
te, beneficio , ſcilicet , ipſius ſenſus , tunc illud medium , quod eſt notum na-
tura quatenus cauſa,& nobis quatenus ſenſatum facit ut cognoſcatur utraque
quæſtio,uidelicet,eſſe, ac propter quid effectus, unde ex Themiſtii ſententia in
ſecundo Poſteriorum capite ſecundo exoritur demonſtratio potiſſima ; ſi demũ D
erit illud medium inuentum , ideſt , nobis cognitum, per demonſtrationem
quia abſoluentem (ut dictum eſt) ſolum eſſe cauſæ , exoritur demonſtratio cau

A ſæ tantum,notificans duntaxat propter quid effectus. quam Auerrois opinionē Ariſtoteli maxime conſentaneam eſſe arbitramur.

Auicennæ rationes contra demonſtrationem quia.

CAP. III.

HANC partitionem, quam uerisſimam eſſe opinamur, impugnarunt grauisſimi philoſophi,nam ſubtilisſimus,ac doctisſimus Auicenna deſtruit demonſtrationem quia,latini uero noſtri penitus inficiantur demonſtrationem propter quid tantum,quorum omnium rationes examinabimus,illiſq; ſatisfaciemus. Auicenna deſtruens primo demonſtrationē quia,quæ fit per cauſā remotā hac utitur demonſtratione, in ratione quia p̄ cauſam remotā maior propoſitio nō eſt neceſſaria,ergo non eſt uere demonſtratiua; conſequentia notisſima eſt, quia B demonſtratio debet habere propoſitiones neceſſarias, ut patet ex Ariſtotele in primo Poſteriorum pluribus in locis; antecedens etiā clarisſimū eſt,cū cauſa lōginqua non inſit neceſſario cauſatis,placet tamen illud illuſtrare Ariſtotelis exēplo in primo Poſteriorum contextu trigeſimo,de quo facta fuit mentio in capite ſecundo,uidelicet, omne reſpirans eſt animal, nullus paries eſt animal, ergo nullus paries reſpirat. hic ſyllogiſmus, cum medium habeat cauſam remotam, fit ſolum in ſecunda figura , quia cauſa remota eſt uniuerſalior cauſato,ex quo non poteſt niſi prædicari de cauſato, efficitur ergo ſecūda figura,in cuius maiori prædicatur cauſa de cauſato. illius maioris propoſitionis , omne reſpirans eſt animal,nulli dubium eſſe debet,animal, cum ſit cauſa longinqua reſpirationis, non ineſſe neceſſario reſpiranti, quare manifeſtisſime apparet, antecedens illius rationis uerisſimum eſſe. ultimo deſtruit Auicenna demonſtrationem quia per immediatos effectus hunc in modum. in ratione quia ab effectu procedente fit C petitio in principio,ergo ratio quia non poteſt eſſe demonſtratio. conſequentia notisſima eſt, probatur antecedens,principia demonſtrationis quia debent eſſe eſſentialia,quoniam demonſtratio fit ex iis, quæ ſunt per ſe, & debent eſſe nota ut ſint eſſentialia , alioquin ignoraremus an eſſent propria, uel communia; ſi debent eſſe nota ut ſint eſſentialia,hoc erit aut per inductionem,aut per cauſam;ſed per inductionem id fieri non poteſt,ut habetur de Cygno,&de Coruo,in quibus an eſſentialia,uel accidentalia ſint albedo,& nigredo, per inductionem non cognoſcitur,ergo per cauſam,ſi per cauſam,ergo in demonſtratione quia fit petitio in principio,cum in eius propoſitionibus ſupponatur quod debet probari.ut, gratia exempli,omne riſibile eſt rationale, omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt rationalis.minor huius rationis debet eſſe nota ut ſit eſſētialis,& hoc, ut dictū eſt, per cauſam, ergo quia homo eſt rationalis, in minore igitur propo D ſitione notum erit,hominem eſſe rationalem , quod tamen in concluſione colligitur. ſi itaque ratio quia ab effectu eſſet demonſtratio, in demonſtratione fieret petitio in principio, quod falſum eſt. Præterea, ratio quia ab effectu non eſt

ex uniuersalibus, ergo ratio quia ab effectu non est demonstratio. consequentia clarissima est ex Aristotele in primo Posteriorum sæpe asserente demonstrationem debere constare ex uniuersalibus; probatur antecedens, nam ratio a posteriori assumit in principiis effectum, sed effectus è numero eorum est, quæ singularia sunt, ergo ratio ab effectu non est ex uniuersalibus. confirmantur omnes istæ rationes duabus nunc Aristotelis auctoritatibus, quarum prima est in principio quinti contextus primi Posteriorum, ubi philosophus, postquam dixit, demonstratiuam scientiam esse ex ueris, primis, &c., subiunxit, sic enim erunt & principia propria eius, quod demonstratur, syllogismus enim erit & sine his, demonstratio autem non erit: ex quo loco elicitur, rationem quia esse syllogismum, quoniam ex Aristotelis sententia ratio illa, quæ non habet principia cum conditionibus ab Arist: positis non demonstratio, sed tantum syllogismus debet appellari, at ratio quia non habet principia cum illis conditionibus; ergo ratio quia non demonstratio, sed tantum syllogismus debet uocari, ex quo patet secundum philosophum rationem quia esse syllogismum, non autem demonstrationem, quod uidit quoque Themistius in secundo Posteriorum capite trigesimo. secunda est auctoritas in secundo Posteriorum contextu octauo circa medium, ubi sūt hæc uerba (quæcūque igitur secundū accidens nouimus quia sunt, necessarium est, nullo modo se habere ad ipsum quid sit, neque enim quod est scimus) per quæ uerba ostendit philosophus, ex rationibus, in quibus assumitur medium secundum accidens, non posse ullo pacto elici ipsum quod quid est, immo per huiusmodi syllogismos neque sciri quod est, sed in ratione quia mediū est accidens, ergo non parit scientiam, ergo ratio quia non est demonstratio.

A

B

Auicennæ rationes dissoluuntur.

C A P. I I I I.

ERAT prima Auicennæ ratio, qua destruebat demonstrationem quia a causa remota hunc in modum. in ratione quia per causam remotam maior propositio non est necessaria, ergo non est uere demonstratiua. ad hanc negatur antecedens, ad exemplum, quo illustratur, dicimus, falsum esse, maiorem illam propositionem, uidelicet, omne respirans est animal, non esse necessariam, nam licet esse animal sit remota causa respirandi, idcirco non sequitur, ut animal collocari non debeat in definitione respirationis, ergo necessario inest animal respiranti. erant aliæ duæ rationes euertentes demōstrationem quia ab effectu, quarum prima huiusmodi erat, in ratione quia procedente ab effectū fit petitio in principio, ergo ratio quia non potest esse demonstratio. ad hanc negatur antecedens, ad probationem dicimus, illam peccare per insufficientem enumerationem, nam quando ait, propositiones demonstrationis quia debere esse notas ut sint essentiales, idq; uel per inductionem, uel per causam, dicimus, eam peccare, quoniā propositiones illæ possunt esse notæ ut sint essentiales

C

D

etiam per secundum modum dicendi per se,ut patet prædicto exemplo pro ma
A iori certitudine illius probationis,nam minor illa propositio, nempe,omnis ho-
mo est risibilis, cognoscitur esse essentialis, quia subiectum eius est de conceptu prædicati, ponitur enim homo in definitione risibilitatis; cum itaque sit in secundo modo dicendi per se, redditur etiam nota ut sit essentialis absque inductione,& causa.Secunda ratio erat huiusmodi, demonstratio quia ab effectu nõ est ex uniuersalibus,ergo nõ est demonstratio.ad hanc negatur antecedens,ad probationem dicimus,effectum, ratione qua est singularis, non ingredi demonstrationem,sed quatenus ex pluribus singularibus effectibus fit effectus uniuersalis, ut colligitur ex Aristotele in primo Posteriorum capite uigesimo quarto circa finem,seu contextu quadragesimo tertio circa medium,nec non in secundo Posteriorum in calce primi textus,& in contextu ultimo,cum enim exempli gratia,per Lunæ defectum ostendimus terram interponi inter Lunam, & Solem, non accipimus singularem defectum,sed defectum uniuersalem,qui ex plu-
B ribus singularibus defectibus efficitur. Ad primam philosophi auctoritatem de sumptam ex quinto contextu primi Posteriorum in confirmationem omnium rationum dicimus,ex illa auctoritate elici, demonstrationem quia esse syllogismum in comparationem demonstrationis potissimæ,sed non simpliciter,& absolute. ad secundam in contextu octauo secundi libri Posteriorum respondemus, philosophum per demonstrationem quia intelligere eam, in qua sumitur accidens remotum,non illam,in qua accipitur accidens essentiale,nimirum, propria passio,quando inquit,demonstrationem quia non parere scientiam,&propterea non esse demonstrationem. & si quispiam instaret, dictum illud philosophi debere etiam intelligi de demonstratione quia,in qua sumitur accidens essentiale; respondemus,id uerum esse de scientia perfectissima, ut,scilicet,demonstratio quia non pariat scientiam perfectissimam, sicuti demonstratio potissima, non autem ut simpliciter,& absolute non pariat scientiam.

C

Latinorum rationes contra demonstrationem propter quid tantum

C A P. V.

AVicennæ sententia sic explicata circa demonstrationẽ quia,eiusq; rationibus dissolutis,nunc uidendum est, quid senserint latini circa demonstrationem propter quid tantum. Respondent ferè omnes,eam fuisse figmentum,& somniũ commentatoris, quoniam in doctrina philosophi non potest dari huiusmodi demonstratio,quod probant,& primo sic, demõstratio quia præter id, qđ ad ipsã pertinet, præstat ẽt illud idẽ, qđ p. Auerroẽ ostendit demõstratio pp quid
D tantũ,ergo male ab eo distinguitur demõstratio pp quid tantũ à demõstratione quia. consequentia nota ẽ,probatur antecedens,in demõstratione quia à posteriori effectus declarat causã esse,at nõ potest declarare causam esse,nisi sciatur,causã

illam esse causam eiusdem effectus, sed hoc est scire propter quid, ergo demonstratio quia præter id, quod ad ipsam pertinet, præstat etiam illud idem, quod per Auerroem ostendit demonstratio propter quid tantum. probatur assumptū, A illa causa, quæ per effectum monstratur, uel scitur esse propria illius effectus, uel non, si scitur, habetur intentum, si uero non, per illum effectum non magis una, quàm alia causa poterit inferri, quis enim prohibebit, ignorato ignem esse causam fumi, quin inferatur, si fumus est, etiam lapis? & ita per effectum nunquam deueniemus in cognitionem causæ determinatæ. si igitur progrediendo ab effectu ad causam, scimus causam illius effectus, & scire causam effectus est scire eius propter quid, demonstratio quia dabit esse causæ, & propter quid effectus, quare demonstratio quia ostendit & quod suum est, & quod spectat ad demonstrationem propter quid tantum. secundo, & ultimo, diuisio Auerrois repugnat Aristotelis diuisioni, ergo falsa, consequentia existente manifesta, probatur antecedens, nam philosophus in primo Posteriorum. 30. diuidens ipsum scire in scire quod, & scire propter quid, innuit duas solum dari species demonstrationis, alteram quia, alteram propter quid, quæ eadem est cum potissima commentatoris, B & hoc ex natura rei, quilibet enim progressus uel est ab effectu, uel à causa, unde manifestissime apparet, Auerrois partitionē recedere ab Aristotele, & à ueritate.

Soluuntur Latinorum rationes de demonstratione propter quid tantum

CAP. VI.

PRopositis Latinorum rationibus, reliquum est, ut eis satisfaciamus, & primo primæ, quæ hunc in modum se habebat, demonstratio quia præter id, quod ad ipsam pertinet, præstat etiam illud idem, quod per Auerroem ostendit demonstratio propter quid tantum, ergo male ab eo distinguitur demonstratio C propter quid tantum à demonstratione quia. Ad hanc negatur antecedens, ad probationem, negatur assumptum, ad cuius probationem dicimus, uerum esse, ut progredientes ab effectu ad causam, sciant esse aliquam causam illius effectus, sed quando subiungitur, scire causam effectus est scire propter quid; respondemus, id uerum esse, quando ea sit determinata, & propria causa illius effectus, ut patet ex definitione ipsius scire simpliciter tradita ab Aristotele in primo Posteriorum contextu quinto, uerum effectus nō infert causam propriam, & determinatam, sed indeterminatam, postea per Intellectus negociationem cognoscitur eam esse causam propriam, propter quam effectus est. secunda, & ultima ratio huiusmodi erat, diuisio Auerrois repugnat Aristotelis diuisioni, ergo falsa. ad hanc negatur antecedens, ad probationem ex Aristotele primo Posteriorum D contextu trigesimo, dicimus, Aristotelicæ diuisionis membra in alias species diuidi posse, nam sicuti demōstratio quia diuiditur ab Aristotele in plures species

ita diuidi potest demonstratio propter quid. nam licet huiusmodi demonstratio
A progrediatur à causa prima, sicuti demonstratio quia progreditur à causa non prima, uidendum est pro quo accipiatur illa causa prima, dicimus, eam accipi pro causa proxima, cum enim causa prima sit contradistincta à causa non prima, & per causam non primam philosophus uno omnium consensu intelligat causam remotam, sequitur, eum per causam primam debere intelligere causam proximam, in qua conueniunt omnes species demonstrationis propter quid, quoniam uero causa proxima potest esse sufficiens, & non sufficiens, si fuerit sufficiens, efficiet unam speciem demonstrationis propter quid, quæ appellatur potissima, nam omnis potissima est propter quid, sed non è contra, cum demonstratio propter quid sit uniuersalior potissima demonstratione; si uero fuerit non sufficiens, efficiet aliam speciem demonstrationis propter quid, quæ uocatur æquiuoce cum genere demonstratio propter quid tantum, datur enim demonstratio una propter quid, quæ potissima nunquam fieri potest, ut paulo inferius de
B clarabimus. ex quo patet, Aristotelicæ diuisionis membra diuidi posse in alias species, per quas redditur eadem cum Auerrois diuisione; & sic aduersariorum ratio nulla est.

Propria explicatur sententia secundi membri propositæ disputationis.

C A P. V I I.

Posita primi membri huius disputationis, quantum per nos licuit, ueritate, tres, scilicet, non duas tantum esse species demonstrationis, reliquum est, ut examinemus secundum eius pulcherrimum, & utilissimum membrum, uidelicet, quæ nam differentia sit inter potissimam demonstrationem, & propter quid
C tantum, an accidentalis, ut placuit Latinis, uel essentialis ex mente commentatoris, quam à philosophi sententia non recedere in sequentibus probabitur. non immorabimur in explicatione terminorum, cum ex Porphirio in capite de differentia satis constet quid accidentalis, & quid essentialis differentia sit, sed statim accedemus ad opinionem commentatoris declarandam, quam ueriorem esse, & ab Aristotele non recedere existimamus. Auerroes tum ratione medii, tum ratione quæsitorum essentialem differentiam ponit inter potissimam demõstrationem, & propter quid tantum, existimans dari unam speciem demonstrationis propter quid, quæ non possit ullo pacto fieri potissima. ad sententiam commentatoris aperte intelligendam uideamus quid ipse afferat in primo Posteriorum commento nonagesimo sexto circa principium, in secundo Posteriorum commento nonagesimo tertio in fine, & alibi de causarum, & causatorum
D dispositionibus. causæ, & causata ex ipsius sententia quatuor tantum modis, nec pluribus, nec paucioribus possunt disponi. nam aliquæ sunt causæ, & causata, quæ ad inuicem conuertuntur, ut planetas prope esse, & planetas non scintillare: in

his poteſt euenire quælibet demonſtrationis ſpecies, ſi enim fuerit notum eſſe ef fectus, ideſt, planetas non ſcintillare, ignotum autem eſſe cauſæ, hoc eſt, planetas prope eſſe, exoritur demonſtratio quia oſtendens unam quæſtionem, uidelicet, eſſe cauſæ: ſi uero per eandem demonſtrationem quia fuerit nobis notum eſſe cauſæ, & ignotum propter quid effectus, efficitur alia ſpecies, quæ dicitur propter quid, & cauſæ tantum, cum unam etiam & hæc quæſtionem oſtendat, nempe, propter quid ipſius effectus; ſi demum fuerit notum eſſe cauſæ natura, & nobis non mediate, ideſt, non mediante demonſtratione quia, ſed immediate, hoc eſt, beneficio ſenſus, eſſe uero effectus fuerit ignotum, tunc exoritur demonſtratio, quæ potisſima nuncupatur, notam faciens utranque quæſtionem, eſſe, ſcilicet, & propter quid effectus. confirmatur hoc ex Ariſtotele in ſecundo Poſteriorum contextu octauo, ubi ait, propter quid quæri, cognito quod, nonnunquam uero & ſimul manifeſta fieri; ex quo patet, eſſentialem differentiam eſſe inter potisſimam demonſtrationem, & propter quid tantum ratione quæſitorum, cum diſtinctio ex parte quæſitorum ſit diſtinctio realis, & ex natura rei. aliquæ uero ſunt cauſæ, & cauſata, quæ mutuo non conuertuntur, ſed effectum ſequitur cauſa, non è conuerſo, ut, exempli gratia, mulierem peperiſſe, ſequitur eam concubuiſſe cum uiro, non autem è contra, in his ſit ſolummodo demonſtratio quia, ſi eſſe effectus fuerit notum, & ignotum eſſe cauſæ, nam ſi ex oppoſito fuerit notum eſſe cauſæ ignotum autem eſſe effectus, non exorietur demonſtratio à priori, proptereaquod cauſa non infert effectum, licet ab effectu inferatur, ſi tamẽ aliqua demonſtratio fieret, reponenda eſſet inter ſpecies demonſtrationis quia, ut coniicere poſſum ex iis, quæ dixit philoſophus in principio trigeſimi contextus primi Poſteriorum. aliquæ iterum ſunt cauſæ, & cauſata, quæ inter ſe ita diſponuntur, ut nec cauſam effectus, nec effectum ſequatur cauſa, in his nulla poteſt formari demonſtratio, uel ſi fuerit notum eſſe effectus, & ignotum eſſe cauſæ, uel è conuerſo. demum aliquæ ſunt cauſæ, & cauſata, quæ ad inuicem non cõuertuntur, cauſam tamen ſequitur cauſatum, licet cauſatum non ſequatur cauſa, ut, exempli gratia, ignem ſequitur illuminatio, & calor, ſed non è contra; in his certum eſt non poſſe fieri demonſtrationem quia, licet eſſe effectus fuerit notum ignotum uero eſſe cauſæ, cum effectus non inferat cauſam; non poſſe etiam fieri potisſimam demonſtrationem, quamuis eſſe cauſæ fuerit notum, non autem eſſe effectus, indicat nobis definitio ipſius ſcire ſimpliciter poſita ab Ariſtotele in primo Poſteriorum contextu quincto in principio, quæ hunc in modum ſe habet, (cum cauſam arbitramur cognoſcere, propter quam res eſt, &c.) quamuis enim ignis, exempli gratia, ſit cauſa illuminationis, non tamen eſt cauſa ſufficiens, à qua fiat illuminatio, quoniam, non exiſtente igne, fieret etiam illuminatio; præterea, in demonſtratione potisſima propoſitiones omnes debent eſſe ſecundum quod ipſum, ideſt, uniuerſales, quæ conditio non reperitur in huiuſmodi cauſis, & cauſatis, quare patet, in his non poſſe effici niſi demonſtrationem propter quid tantum, licet in hac re uarie ſenſerit commentator, nam in commento nonageſimo quincto primi Poſteriorum inquit, demonſtrationes cauſarũ

tantum eas esse, quæ componuntur ex causis, ex quibus sequitur existentia causa-
A torum ex necessitate, causæ uero non sequuntur ex causatis. in commento uero
nonagesimo sexto ait, species autem secunda consequentiæ est, ut sequatur poste
rius ex priori, hoc est, causatum ex causa, & non conuertatur res, in hac specie
non adducitur nisi demonstratio simpliciter tantum, & hoc cum fuerit causa no
tior, si uero non fuerit notior, non adducetur ibi demonstratio penitus, etiam si
esset causatum notius apud nos. eandem sententiam habet in Epitomis logicis
tractatu de demonstratione non longe à fine, inquiens, tertia pars est, ut sequa-
tur posterius ad esse prius, non autem prius ad esse posterius, in hac fit demon-
stratio causæ, & essendi solum. cum itaque in huiusmodi causis, & causatis, ex
natura conditionum principiorum, & propterea ex natura medii, à quo sumitur
uera distinctio inter species demonstrationis, non possit oriri nisi demonstratio
propter quid tantum, licet ex parte quæsitorum uideatur posse etiam effici de-
monstratio potissima, ad credendum inducor, uerba commenti nonagesimi sex
B ti, & illius tractatus, qui est de demonstratione, esse deprauata, deberéq; in eo
commento deleri dictionem illam, (nisi,) ut legatur, species autem secunda con-
sequentiæ est, ut sequatur posterius ex priori, hoc est, causatum ex causa, & non
conuertatur res, in hac specie non adducitur demonstratio simpliciter tantum,
& quæ sequuntur; ni uelimus dicere, Commētatorem per demonstrationem sim
pliciter tantum intellexisse demonstrationem propter quid tantum, cum soleat
aliquando demonstrationem propter quid tantum appellare demonstrationem
simpliciter, ut patet de illa demonstratione, qua ostenditur eclipsis de Luna pro
pter terræ interpositionem; ex eius enim docendi methodo non potest esse de-
monstratio illa nisi demonstratio propter quid tantum, cum habeat principia no
ta natura, nobisq; mediate, & tamen in secundo Posteriorum commento qua-
dragesimo uocatur ab eo demonstratio simpliciter, de cuius ratione est secun-
dum Commentatorem, ut eius principia sint nota natura, & nobis immediate,
C quare per demonstrationem simpliciter non potest ibi intelligere nisi demonstra
tionem propter quid tantum. in tractatu uero de demonstratione non longe à
fine debet addi (non) uerbo illi (fit,) ut legatur, tertia pars est, ut sequatur poste
rius ad esse prius, & non sequatur prius ad esse posterius, in hac non fit demon-
stratio causæ, & essendi solum, idest, non fit demonstratio potissima, de cuius ra
tione est, ut det causam, & esse, & ita uniformis semper esset Auerroes. manife-
stum igitur est ex mente Commentatoris, distingui inter se demonstrationem sim
pliciter, seu potissimam, & demonstrationem propter quid tantum ex natura
medii, atq; ideo ex natura rei, non autem ex nostra cognitione. hanc realem di
stinctionem respectu principiorum esse etiam ad mentem philosophi, probatur ex
eius fundamentis hunc in modum; si demonstratio potissima, & propter quid tā
tum non differrent essentialiter, sed solum accidentaliter, ut uolunt Latini, omnia
D illa genera causarum, quæ ingrediuntur propter quid tantum, ingrederentur
etiam potissimam; consequens est falsum, ergo & illud, ex quo sequitur: conse
quentia est clarissima, nam si aliquod causæ genus uni, & non alteri demonstra-
tioni

tioni accommodaretur, non solum accidentaliter, sed etiam essentialiter demon A strationes illæ distinguerentur, quod esset contra latinorum sententiam. probatur falsitas consequentis ex ipsomet philosopho, ait enim Aristoteles in secundo Posteriorum contextu undecimo, & in secundo Physicorum contextu septuagesimo secundo in demonstratione propter quid ingredi quatuor causarum genera, & propterea quartum modum dicendi per se, ut quartum, idest, causam efficientem ueram, quæ à potissima demonstratione excluditur, ut per Aristotelem in primo Posteriorum contextu decimo manifestissime apparet, ubi determinat, solum primum, & secundum modum dicendi per se ingredi potissimam demonstrationem; licet enim aliquando causa efficiens competat potissimæ demonstrationi, id fit, quatenus sapit naturam formæ, cum sit semper sub qualibet temporis differentia suo effectui annexa, ex quo sortitur nomē causæ efficientis B non ueræ. cum igitur quartus modus ut quartus ingrediatur propter quid, potissimam uero nequaquam, nisi ex accidenti, pro ut, scilicet, concurrit cum primo, uel cum secundo modo dicendi per se, sequitur, non omnia genera causarū, quæ ingrediuntur propter quid, ingredi etiam potissimam demonstrationem, datur enim (ut diximus) una causa efficiens uera nuncupata, quæ propter quid ingreditur, potissimam autem minime: ergo non solum accidentaliter, sed etiā essentialiter, uidelicet, ex parte medii distinguūtur demonstratio potissima, & propter quid. Ecce, distinctionem realem inter has demonstrationes non esse figmētum, & somnium Auerrois, sicuti dicunt latini, sed esse desumptam ex uisceribus ipsiusmet philosophi in primo, & in secundo Posteriorum locis citatis, cum ex rei natura, nulla concurrente cognitione nostra, uel ea concurrente, fit realis distinctio inter potissimam, & propter quid, aliqua enim causa absque nostra cognitione reperitur, quæ propter quid, non autem potissimam ingreditur; nostraq; concurrente cognitione, aliqua sunt principia natura, nobisq; nota primū, C & immediate, ex quibus efficitur solum potissima demonstratio, aliqua uero natura, nobisq; nota non primum, & immediate, sed mediate, idest, mediante demōstratione quia, ex quibus oritur demōstratio propter quid tantum à principiis nobis primum, & non primum cognitis. fluit etiam realis distinctio inter positas demonstrationes ex parte quæsitorum, potissima.n. demonstratio, quæ progreditur ex principiis natura, nobisq; primum, seu immediate cognitis, ostendit duo quæsita, esse, scilicet, & propter quid effectus, at demonstratio propter quid tantum constans ex principiis natura, nobisq; non primum, & immediate, sed mediate cognitis, ostendit solum unam quæstionem, nempe, propter quid effectus. confirmatur hoc (ut supra diximus) Aristotelis auctoritate in secundo Posteriorum contextu octauo, ubi asserit, propter quid quæri, cognito quòd, nonnunquam uero, & simul manifesta fieri. D

A *Ex aliorum sententia nullam esse differentiam inter potissimam demonstrationem, & propter quid tantum ex parte medij absque nostra cognitione.*

CAP. VIII.

OPinionem hanc nostram, quam uerissimam esse arbitramur, multis rationibus in fauorem Latinorum nonnulli demoliri nituntur; probant .n. realem distinctionem non esse inter potissimam demonstrationem, & propter quid tantum, neque ex medio nulla concurrente cognitione nostra, neque ex eodem medio uel primum, uel non primum noto, neque ex parte quæsitorum; demum B confirmationem ex secundo Posteriorum libro cōtextu octauo desumptam ab Auerroistis non intelligi, eiusque locum illum aduersari declarant, & primo ex parte medii absque nostra cognitione hunc in modum argumentantur. Causa externa, idest, efficiens uera, à qua per Auerroem fit demonstratio propter quid tātum, non dat de effectu quid, ergo neque propter quid, ergo demonstratio per causam efficientem ueram non potest uocari propter quid, falsum igitur est dicere, dari demonstrationem propter quid distinctam à potissima ratione medii. antecedens est Auerrois, & consequentia Aristotelis in secundo Posteriorum pluribus in locis, ubi ait, idem esse quid, & propter quid. Secundo ex Auerroe in secundo posteriorum pluribus in locis demonstratio potissima fit per causas externas, à quibus non recedit propter quid, & demonstratio propter quid fit per causam formalem, ut, uidere est in ipso regressu, in quo forma latens fuerit inuenta per eius proprietates, à qua formali causa non recedit potissima, ergo non differunt potissima, & propter quid tantum ratione medii. confirmantur hæ rationes philosophi auctoritate in primo Posteriorum contextu trigesimo, C ubi distinguens inter scire quod, & propter quid, dixit, demonstrationum aliam fieri per causam primam, & hæc dicitur propter quid, aliam uero per causam nō primam, & hæc appellatur quod, uel demonstratio quia; ex quo loco clare patet, philosophum sub demōstratione propter quid intellexisse etiam potissimam, cum unicam illis formam tribuerit, uidelicet, causam primam. nulla igitur est distinctio inter potissimam, & propter quid tantum ex parte medii.

Allatæ rationes soluuntur.

CAP. VIIII.

PRO solutione primæ rationis aduertendum est, ipsum quid dupliciter sumi D posse, uel proprie, qua ratione acceptum contradistinguitur ab ipso propter quid, uel communiter, pro ut, scilicet, concurrit cum causa, quo modo sumptum idem est cum ipso propter quid. hoc posito, dicimus, consequentiam esse fal-

ſam,ſi ratio in oppoſitum intelligat de ipſo quid proprie,ad probationem ex Ariſtotele in ſecundo Poſteriorum pluribus in locis aſſerente, idem eſſe quid, & propter quid,reſpondemus,philoſophum accipere ibi quid communiter, quatenus, ſcilicet,concurrit cum cauſa,quod non facit contra nos ; ſi uero intelligat ratio in oppoſitum de ipſo quid communiter,negatur antecedens, & huius negationis ratio eſt, quia conueniendo quid communiter ſumptum cum cauſa, dum demonſtratio à cauſa externa per Auerroem dat propter quid, ſeu cauſã, dat etiam quid communiter acceptum. Ad alteram ex Auerroe in ſecundo Poſteriorum pluribus in locis,negatur,demonſtrationem potiſſimam fieri per cauſas externas,quia licet ratiocinatio de Lunæ defectu per terræ interpoſitionem, quæ eſt per cauſam externam,ab Auerroe dicatur aliquando demonſtratio ſimpliciter, non poteſt ab eo accipi niſi per propter quid tantum, alioquin ipſemet ſuis fundamentis aduerſaretur, ut patet per ea,quæ diximus in capite octauo. propter quid autem fieri per cauſam formalem non aduerſatur opinioni noſtræ, quia demonſtratio propter quid(ut diſputatum fuit in ſuperioribus) ſe habet ueluti genus ad potiſſimam, & ad eam,quæ cum genere æquiuocè dicitur B propter quid tantum,omnis enim potiſſima eſt propter quid,ſed non è contra, cum demonſtratio propter quid ſit uniuerſalior demonſtratione potiſſima. demonſtratio igitur propter quid, quando in regreſſu aliquoties fit per cauſam formalem non ſecus,ac potiſſima, tunc ab ea non differt ratione medii abſolute ſumpti,ſed concurrente noſtra cognitione; quoniam in potiſſima demonſtratio ne cauſa illa formalis eſt nota natura,nobiſq; primum, ſeu immediate, proinde oſtendit huiuſmodi demonſtratio duo quæſita,eſſe, ſcilicet, & propter quid effectus; in demonſtratione uero propter quid tantum ſic dicta ad differentiam potiſſimæ, quæ eſt etiã propter quid,cum omnis potiſſima(ut diximus) ſit propter quid,& non è contra,eadem cauſa formalis eſt nota natura,& nobis non primũ, & immediate,ſed mediate,mediante,ſcilicet, demonſtratione à poſteriori, idcirco demonſtratio illa notam facit unam ſolam quæſtionem,nempe, propter quid effectus; quare non ſolum ratione medii primum,& non primum noti differt po C tiſſima ab ipſa propter quid tantum,ſed etiam ratione quæſitorum. Ex quo manifeſta redditur ſolutio ad confirmationem ex Ariſtotele in primo Poſteriorum contextu trigeſimo,nam licet in cauſa prima,ideſt, in cauſa proxima conueniant demonſtratio potiſſima,& propter quid,differunt tamen in aliis conditionibus, quia huiuſmodi cauſa proxima poteſt eſſe uel ſufficiens,uel non,prætcrea,primum,uel non primum nobis nota,ſi fuerit ſufficiens,nobiſq; primum nota, ex ea fit potiſſima demonſtratio,ſi uero nõ ſufficiẽs,nobiſq; nõ primũ nota,ex ea oritur demõſtratio propter qd tãtũ,ut patet per ea,quæ diximus,& in ſeptimo, D & in præſenti capite paulo ſupra.

A *Ex aliorum sententia refellitur ea differentia, quæ sumitur à medio nobis primum, uel non primum noto.*

CAP. X.

ERAT altera differentia inter potissimam demonstrationem, & propter quid tantum, potissimam, scilicet, medium habere nobis primo notum, non ex effectu inuentum, propter quid uero tantum habere medium non primo nobis notum, sed ex effectu notiore declaratum, ut autem huiusmodi differentiam à demonstrationis natura alienam esse ostendant, hunc in modum aduersus eam argumentantur. Hæc differentia non est sumpta ex conditionibus principiorũ demõstrationis ab Aristotele adductis, ergo à natura demonstrationis non deriuatur, proinde species uariare nõ potest; consequentia est clara, assumptum pro-
B batur, principia demonstrationis uocatæ ab Auerroistis propter quid tantum absque dubio uera sunt, sunt etiam prima, seu immediata, quia nil aliud est, principia esse immediata, quàm nullum dari medium inter maiorem extremitatem, & terminum medium de sententia philosophi in capite decimo primi libri Posteriorum, habet huiusmodi demonstratio principia priora, & causas conclusionis, cum in ea progressus fiat à causa ad effectum; habet etiam illa notiora natura, & nobis, natura quidem, quoniam omnis causa est notior effectu secundum naturam; nobis uero, quoniam omnis demonstratio fit propter nostram cognitionem, quare à notioribus nobis progreditur; sin minus, est prorsus inutilis; quod de ea non est dicendum, ergo eius principia & natura, & nobis notiora cõclusione esse oportet, demum, principia demonstrationis propter quid sunt de omni, sunt per se, & sunt quatenus ipsum, omnes igitur conditiones habet, & in nulla discrepat à potissima, ergo differentia hæc ex natura demonstrationis non
C accipitur, proinde ipsi demonstrationi accidentaria est, re uera ea differentia in nobis tantum est, non ipsa demonstrationis natura, quandoquidem nobis contingit, ut causam primum notam habeamus, & ut non primum notam ex effectu notiore inueniamus, sed ad ipsam demonstrationis naturam id minime pertinet, hinc factum est, ut Aristoteles id nunquam considerauerit, dũmodo. n. principia sint nota natura, & nobis, quæ conditio communis est omnibus demonstrationibus à priori, & à causa proxima, nil refert an nobis primum nota fuerint, an inuẽta per aliud; propterea illud essẽtiale demõstrationi esse dicitur, hoc uero accidẽtariũ, qđ naturã demõstrationis uariare nõ potest. Præterea, si ea sẽtẽtia admittatur, seq̃tur, huic homini eandẽ demonstrationẽ esse potissimã, alteri autẽ homini esse propter quid tantum, quod absurdum est. consequentia probatur, nam concedit Auerroes in commentariis. 182. & 183. primi libri Posteriorum, aliquas
D esse rerum causas sensiles, ex quibus apud eum fit potissima demonstratio, quoniam primo notæ occurrunt, nec inueniuntur per aliud; quoniam igitur etiam effectus aliquis à tali causa productus sensibilis esse potest, ideo si contingat ab

aliquo prius causam sentiri, quam effectum, & ex ea illum effectum demonstrari, demonstratio respectu illius potissima erit, notificabit enim, & quod effectus sit, & cur sit; ut si quis nullam habens solaris eclipsis cognitionem, uideat Lunam in A terpositam inter solem, & nos, statim per causam cognoscet eclipsim fieri, quā antea nunquam cognouerat; si uero alius, qui prius eam eclipsim nouerit sine cognitione causæ, ueniat postea in eius causæ cognitionem, per eam cognoscet propter quid fiat eclipsis, sed non quod sit; eadem igitur demonstratio huic erit propter quid, quæ alteri potissima fuit; nullamq; in se ipsa mutationē passa fiet di uersarum specierum respectu diuersorum hominum; quod si absurdum est, ut cer te est absurdissimum, dubitandum minime est, hanc differentiam è natura de monstrationis sumptam non esse, sed accidens esse ipsi demonstrationi, & acci dens quidem separabile, cum uni, & eidem medio contingat, ut sit primo notum alicui, & alteri non primo notum respectu eiusdem effectus.

Rationibus superiori capite adductis respondetur. B

CAP. XI.

IAM adductis rationibus respondentes, ad primam negamus assumptum, ad probationem autem dicimus, falsum esse demonstrationem propter quid tan tum semper habere principia immediata, cum progrediatur aliquando per cau sam causatam, ut uidere est de eclipsi Lunæ, de eius luminis accretione, & hu iusmodi, quæ sunt demonstrationes propter quid, & tamen progrediuntur per causam causatam, idest, per medium causatum, & propterea per principia cau sata, idem enim est principium demonstrationis, & demonstrationis medium. demonstratio uero potissima semper debet habere medium non causatum, seu principium immediatum, quare principia esse immediata, non est (ut dicunt ipsi) nullum dari medium inter maiorem extremitatem, & terminum medium, sed C etiam nullum dari medium inter minorem extremitatem, & medium terminum, alioquin pro medio esset sumpta causa causata contra naturam potissimæ demō strationis. Præterea, falsum est, demonstrationem propter quid tantum habere principia nota nobis eo modo, quo habet demonstratio potissima, quæ est etiam propter quid, sed propter quid perfecta, nam demonstratio potissima habet prin cipia nota nobis immediate, idest, absque ulla demonstratione, soloq; sensus be neficio, demonstratio uero propter quid tantum (dico propter quid tantum ad differentiā demōstrationis ꝑꝑ quid perfectæ, & potissimæ) habet prīcipia nota nō bis mediate, idest, mediante demonstratione quia, & à posteriori. quæ quidem differentia, licet in nobis tantum esse uideatur, multum tamen facit ad demon strationis naturam, nam esse principia nobis nota immediate denotat principia D demonstrationis esse indemonstrabilia, quæ conditio pertinet ad potissimæ de monstrationis naturam; esse uero principia nobis nota mediate indicat principia

A demonstrationis esse demonstrabilia, quæ conditio recedit ab eiusdem potissimæ demonstrationis natura, sed non recedit à natura demonstrationis propter quid tantum. Clare itaque patet, hanc differentiam non esse quid demonstrationi accidentarium, cum eius naturam uariare possit, satis & ab Aristotele fuisse considератam, cum in Logicæ disciplinæ, & philosophiæ libris sæpe dicat ipse, principia sensu, & uia innata nobis fieri manifesta; uana igitur esset demonstrationis natura absque cognitione nostra. Demum falsum est, principia uniuscuiusque demonstrationis propter quid esse quatenus ipsum, quando enim causa, & causatum hoc pacto sunt disposita, ut causam sequatur causatum, non autem è contra, sicuti, exempli gratia, ignem sequitur illuminatio, & calor, sed non è conuerso, in his non posse fieri demonstrationem potissimam, quamuis esse causæ fuerit notum, non autem esse effectus, manifestum est, cum potissima demonstratio postulet terminos pares, & tamen in illis fit demonstratio à causa proxima, & propterea propter quid, quæ non habet quatenus ipsum, ergo datur aliqua

B demonstratio propter quid, quæ non habet omnes conditiones potissimæ demonstrationi requisitas: quo ad alteram rationem, qua dicunt, si ea sententia admittatur, sequetur huic homini eandem demonstrationem esse potissimam, alteri autem esse propter quid tantum, negatur consequentia, ad probationem dicimus, falsum esse in causis & causatis sensibilibus ut aliquis prius sentiat causam, quam effectum, & hunc cognoscat sine causæ cognitione, quomodo enim potest quispiam (si sequamur eorum exemplum) sentire solis eclipsim, & non sentire Lunam, quæ illius eclipsis causa est, interponi inter solem, & nos? simul absque ullo dubio utrunque sentit, ac cognoscit. hinc optime philosophus in secundo Posteriorum contextu primo secus finem dixit, (si uero essemus super Lunam, non utique quæreremus, neque si sit, uidelicet, eclipsis Lunæ, neque propter quid sit, sed simul manifestum esset utrunque.) quia tunc utrunque esset sensile; frustra itaque est ratio, ubi superabundat sensus; quæ enim sensus comprehensione cognita

C sunt omni demonstratione euidentiorem habent persuasionem.

Vltima differentia à quæsitis accepta refellitur.

CAP. XII.

HANC differentiam ratione quæsitorum, si naturam demonstrationis spectemus, falsam esse nonnulli constanter asseuerant, propterea quod demõstratio ex proxima causa constans, dum declarat propter quid sit, non potest secundum propriam naturam non declarare etiam quale sit, quamuis antea nobis nõ tum fuerit, quod ipsi huiusmodi exemplo illustrant. est eorum amicus Venetiis,

D qui eos per litteras certiores facit, pestilentiam cessasse, & annonam cariorem factam esse; ipsi autem, antequam litteræ ad eos perferrentur, de pestilentia quidem sciebant, at de annona ignorabant; si quis igitur ab eis petat; quotnam re-

rum ipsos litteræ illæ commonefaciant, duarum ne, an unius, respondent, certe A duarum, quamuis enim alteram prius nouerint, per hoc tamen uis earum litterarum non tollitur, quæ est duarum rerum commonendi, duas enim res amicus ille scribit, & quamuis ipsi uel alteram, uel etiam utranque prænouerint, attamen naturam propriam, atque efficaciam litterarum spectando, semper uere dicetur de duabus rebus litteras illas quemuis lectorem facere certiorem. ita dicũt, omnem demonstrationem notificantem propter quid est, notificare etiam quòd est; nec quia ipsi alterum prænouerint, tollitur propterea ipsa demonstrationis uis, quæ secundum propriam ipsius naturam utrunque demonstrat, cum in quæsito propter quid est comprehendatur quæsitum an sit, & ab eo diuelli non possit, nil enim aliud est dicere propter quid est, quàm rem esse dicere unà cum causa rei, ut significare uidetur philosophus pluribus in locis secundi libri Posteriorum, ubi sæpe dicit, tunc uere demonstrari, & cognosci rem aliquam esse, quando demonstratur propter quid est, neque bene cognosci rem esse, dum sine causa cognoscitur. comprobari etiam potest hæc sententia ex formali sensu conclusionis, omni enim demonstratione colligitur aliquid esse, uel non esse, quia omnis conclusio, etiam demonstrationis propter quid tantum, talis est, ergo hoc est hoc; neque alicuius momenti esse aiunt eam responsionem, quæ ad hoc afferri posset ex mente Commentatoris in commentario nonagesimo quinto primi libri Posteriorum, & in epitomis capite de demonstratione, uidelicet, demonstrationem causæ tantum non ostendere effectum esse, cum notum sit ante ipsam demonstrationem; propterea quòd ex iis, quæ hactenus dicta sunt, & præcipue ex eo litterarum ab amico scriptarum exemplo facile quisque colligere potest, inanem esse responsionem illam, nam si uera esset, id non debuisset Aristoteles ita simpliciter proferre, sed cum hac exceptione, hæc demonstratio notificat quòd est, si modo ignotum sit, nam si quis illud nouerit, nihil ei declarat; attamen Aristoteles tali exceptione usus non est, quia uana, & à scientiali tractatione alienissima est; regulæ namque habendæ sunt perpetuæ, & res sunt considerandæ secundum proprias naturas, proinde eiusmodi demonstrationes dicuntur demonstrare quòd, quia suapte natura declarant rem esse, non considerata ea, quæ in diuersis hominibus est, accidentali uarietate. hanc fuisse Aristotelis mentem aperte deprehendunt ex ea parte decimi capitis primi Posteriorum libri, in qua loquitur de demonstratione à causa remota, hanc enim tali exemplo declarat, si quæratur propter quid paries nõ respirat, & respõdeatur, quia nõ est animal, talis cõstruetur demõstratio, omne respirans est animal, paries nõ ẽ aĩmal, ergo paries nõ respirat, quæ quidẽ nõ demõstrat propter quid, cũ proxima causa adducta nõ sit, sed solũ quòd; in hoc exẽplo Aristotelis certũ est, existentiã rei quæsitæ notã esse ante illam demonstrationem, & antequam quæratur propter quid paries nõ respiret, quis. n. est, qui ignoret parietem non respirare? ìmo Aristoteles tale problema adducit tanquam notum quo ad quæstionem an sit, inquit enim (si quæratur propter quid non respirat paries), at certum est non quæri propter quid est nisi quando notum est quòd sit, ut ait Aristoteles in secundo libro posterio

A rum contextu primo, & trigesimo nono secundum Auerrois partitionem, nunquam enim quærimus propter quid aliqua res sit, nisi prius constituamus notum esse quod sit; attamen facta demonstratione, dicit Aristoteles, per eam notificari quod est, non propter quid est, quasi dicat: quæsitum est propter quid non respirat paries, hæc autem demonstratio quæstioni non satisfecit, sed solum declarauit quod sit, parietem, scilicet, non respirare. si itaque sententia Auerrois admitteretur, falsum diceret Aristoteles, quoniam enim ante demonstrationem notum erat parietem non respirare, demonstratio illa non declarat quod, quare nihil notificat; certe res hæc nimis clara est, nec alia ratione Aristoteles defendi potest, nisi dicendo, ipsam demonstrationis uim, & naturam spectandam esse, quando quid per eam ostendatur inspicere uolumus; siquidem illa demonstratione ex propria eius natura ostenditur, parietem non respirare, quamuis enim notum id fuerit omnibus hominibus, per hoc tamen ipsa uis demonstrationis minime tol B litur, sed semper talis seruatur, ut notificet rem esse, sed non cur sit. cæterum ad pleniorem huius dogmatis confutationem ostendunt ex Aristotele in trigesima nona particula secundi libri Posteriorum non modo naturam demonstrationis spectando, uerum etiam nos ipsos demonstrantes inspiciendo, omnem demonstrationem notificantem propter quid est, notificare etiam quod est, nobisque tradere nouam utriusque cognitionem, quam ante demonstrationem non habebamus; nam philosophus loco citato reddens rationem cur ille, qui rem esse cognoscit sine cognitione causæ, non cognoscat quid ea sit, hanc rationem adducit; quia neque rem illam esse cognoscit, nisi leuiter, & ex accidenti: cum enim res ita cognosci debeat, uti est, ut autem sit habeat a sua causa, sequitur tunc uere cognosci eam esse, quando per causam, propter quam est, cognoscitur; non est autem repugnantia in uerbis Aristotelis, ut fortasis esse uidetur, cum dicat prius rem cognosci quod sit, postea hoc idem neget; nam significat dupliciter cognosci rem esse, uno quidem modo leuiter, & confuse, & absque cognitione causæ; altero modo perfecte, & per causæ cognitionem, cuius quidem cognitionis com C paratione altera est potius ignoratio, quam cognitio; ex quo loco colligunt, eum, qui prius nouit effectum aliquem esse, & postea demonstrat propter quid sit, hac demonstratione nouam scientiam adipisci, quam antea non habebat, rem, scilicet, illam esse, perfectam enim, & certam scientiam acquirit de eius esse, quam prius non habebat, nisi confusam, & rudem; quare etiam respectu nostri eadem demonstratio, quam uocant propter quid tantum, notificat utrunque, & quod sit, & quamobrem sit. hoc idem ipsius quoque Auerrois confessione confirmãt in nonagesimo quinto commentario primi libri Posteriorum, ubi disputat contra Auicennam de demonstratione quod, quam ille negabat esse demonstrationem, ad quem locum lectorem reiiciunt. cum itaque non detur demonstratio propter quid re distincta a demonstratione potissima, tanquam alia demonstrationis species, firma remanet ea demonstrationis diuisio, quam ipsi ex mente phi D losophi in capite decimo primi libri Posteriorum facere solent, quæ hunc in modum se habet. demonstratio non dicitur nisi syllogismus necessarius, & ex necessariis

sariis propositionibus compositus, qui progressum habet essentialem, nimirum, A à causa ad effectum, uel ab effectu ad causam; quoniam igitur omnis demonstratio aliquid esse ostendit, hoc duobus modis facit, scilicet, uel per causam, uel sine causa, proinde per effectũ; si per causam, aut proximam, aut remotam; per proximã quidẽ fit demõstratio propter qd, quã dicunt potisfimã, ac præstantissimã demonstrationẽ esse; p causã autẽ remotã fit demonstratio solũ quod; similiter p effectũ fit demõstratio solũ quod; itaque duæ sũmæ species demõstrationis dantur habita ratione quæsitorũ, q̃ per eas notificãtur; una, q̃ rẽ esse demõstrat simul cũ ipso pp qd; altera, q̃ solũ quod declarat, nõ pp qd; hæc rursus in duas alias diuiditur rõe medii distinctas, sed nõ rõe quæsitorũ, q̃ p eas notificantur, altera per causã remotã demonstrat effectũ, altera per effectũ notificat causã, cognita ex ui huius diuisionis ueritate, argumẽtũ in oppositũ dissoluunt; quando .n. dicebatur, demonstratio pp quid tantum, & demõstratio potissima distinguũtur ratione quæsitorum, ergo re distinguuntur, negãdum esse dicunt antecedens, B quia neque datur discrimen in quæsitis sine discrimine in cõditionibus principiorũ, neque fieri potest ut demõstretur propter qd sine declaratione ipsius quod.

Confutantur ea, quæ in capite præcedenti contra Auctoris sententiam allata sunt. CAP. XIII.

DIfferentia à quæsitis accepta consequitur eam, quæ sumitur à medio primũ, uel non primum noto; cum itaque disputatum sit, differentiam illam à medio primum, uel non primum noto esse sumptam ex natura rei, manifestisfime apparet, eam in quæsitis aliquam discrepantiam efficere. uerum quia exemplũ afferunt, atq; eo persuadere conantur demonstrationem ex proxima causa constantem, dum declarat propter quid, non posse secundum propriam naturam non declarare etiam quod est, quamuis nobis antea notum fuerit, placet disputandi C gratia contra eorum sententiam, & exemplum aliquid in medium afferre; dicimus itaque primum, demonstrationem non fuisse à sapientibus inuentam, ut alii intelligerent eius naturam esse notificandi simul quæsitum quod, & quæsitum propter quid, sed ut esset instrumentum notificandi quod ab aliis ignoraretur, uel esset illud, quod seiunctim, uel seiunctim propter quid, uel simul utrunque. Si igitur demonstratio notificat, eo quia id oneris ei à sapientibus illis impositum fuit, & notificare est notum facere quod prius ignorabatur, sequitur, demonstrationem debere à nobis dirigi ad ea, quæ ignota sunt, hinc fit, ut demonstratio non secus, ac forma syllogistica, dicatur ratiocinatio à noto ad ignotum, quod falsum esset, si dum notificat propter quid ignotum, notificaret etiam quod prænotum. sicuti ergo se res habet de demonstratione, ita & de litteris, quas ad amicum mittimus, non enim hoc nomine eas mittimus, ut D amicus intelligat, earum naturam esse nunciandi ea omnia, quæ in illis scripta reperiuntur, sed ut eum per illas certiorem faciamus de rebus, quas ab eo ignorari existimamus, si enim ei notas esse pro certo haberemus, absque

A ullo dubio nos ab earũ litterarũ missione abstineremus,alioquin stulti admodũ
essemus.ex qua ratione clare patet,falsũ esse quod assertiue dicunt,omnẽ,scilicet,
demonstrationẽ notificantem propter quid est,notificare etiã quòd est,si præno
tũ fuerit, nec non in quæsito propter quid cõprehendi quæsitũ an sit,ab eoq; di
uelli non posse,quia dicere propter quid res sit,non est(ut uolunt ipsi)dicere rẽ
esse unà cum causa rei,sed est, cognito rẽ esse,quærere causam , propter quã res
est, cum propter quid quæri non possit,nisi cognito quòd; & licet philosophus
pluribus in locis secundi Posteriorũ libri dicat,tunc uere demonstrari,& cogno
sci rẽ aliquã esse,quando demonstratur propter quid est, quia res p illud cogno
sci debet,à quo habet ut sit,ex hoc tamen nõ tollitur, quin sit notum rem illam
esse,quãdo fuerit id notũ à posteriori, ut asserit ipsemet philosophus,quia cõpa-
B rãs ipse ratiocinationes inter se , affirmat, & optime,si ignotũ fuerit rem aliquã
esse, ut pfecte magis cognoscatur, eam esse à priori,& p causã quàm à posterio-
ri, & p effectũ; nõ autẽ,si notũ fuerit rẽ esse à posteriori,seu per sensum,& quæra
tur eius propter quid,ut talis demonstratio notificare possit rẽ illã esse,cũ demõ
stratio dirigi debeat ad id,qđ est ignotũ. nec possunt ad illud recurrere,esse, scili
cet, quòd ignotũ,cũ secundũ accidẽs notũ fuerit,qa philosophus in secundo Po
steriorũ cõtextu octauo asserit,nos scire qa,propter qđ autẽ nõ,si quòd non per
media,sed secundũ accidens notũ fuerit.præterea,ignorato quòd, posset contra
philosophũ quæri pp qđ . declaro,tũc .n. q̃rimus propter quid, quando scimus
quòd secundũ accidẽs,nã si illud haberemus per media, idest,per uerã causã,non
oporteret quærere propter qđ, quoniã simul haberemus utrunque ; si itaque ip-
sum quòd scitũ secundũ accidẽs per eos ignotũ foret, ignorato quòd, posset cõ
tra philosophi sententiã quæri propter quid. manifestissime etiã ex eadẽ ratione
apparet,quãti momẽti sit ea responsio,quæ cõtra eorũ sententiã afferri posset ex
mẽte Cõmentatoris locis citatis,uidelicet,demõstrationẽ causæ tãtũ non osten
C dere effectum esse,cũ notum sit,quia optime cognoscebat Auerroes,id solum no
tum fieri, qđ ignotum est, non autẽ quod est notũ; tantũ igitur abest, ut littera
rum exemplum ab eis excogitatum eorum sententiam illustret , ut potius eius
oppositum ostendat. quo ad Aristotelem loco citato dicimus, eum hac de cau
sa simpliciter protulisse,non cum huiusmodi exceptione,uidelicet , hæc demon-
stratio notificat quòd,si modo ignotum sit,quia ad notionem illius uocis (noti
ficare) consequitur talis exceptio,notificare enim est ocultum,&ignotum mani
festare; si aliquid igitur notũ fuerit,quomodo poterit notificari ? præterea, si de
monstratio notificat,&propter cognitionẽ nostrã est inuenta,nõ ne debet nobis
notificare?Ecce,uanã admodũ rẽ esse,&pcipue ex parte q̃sitorum,ut cõsideretur
natura demõstrationis absq; nostra cognitione . Quod uero spectat ad rationẽ,
quã ibi format philosophus,fatemur,oĩbus esse notum,parietẽ nõ respirare, non
D autẽ notã esse eius causam,hinc optime quæritur, propter quid nõ respirat pa-
ries; quare si ad hoc quæsitum respondens dixerit, quia non est animal, hoc pa-
cto in secunda figura syllogismum conficiendo,omne respirans est animal,paries
non est animal, ergo paries non respirat, demonstratio non esset propter quid,

fed quod; non effet propter quid, etenim (ut inquit Ariftoteles) non dicitur A caufa,non ut in tali fyllogifmo non fit accepta caufa, quia re uera eft fyllogifmus à priori, & à caufa, fed quoniam caufa remota, quæ eius fyllogifmi medium eft,comparata proximæ habetur pro non caufa.Effet ex altera parte quod,non eo modo,quo dicunt ipfi, quia, fcilicet,notificat quod,nempe,parietem non refpirare,quoniam hoc,cum omnibus manifeftum fit, non poteft ab ea notum fieri,licet ratione formæ fyllogifticæ inferatur; fed ut ex hoc denotetur eius imperfectio,ficuti enim ratio à pofteriori cōparata rationi à priori dicitur impfecta, ita demonftratio à caufa remota comparata demonftrationi à caufa proxima eft imperfecta,& hac de caufa (ut diximus) nuncupatur demonftratio quod, feu quia. ad id autem, quod dicunt, fi fētētia Auerrois admitteretur, falfum diceret Ariftoteles, quoniam demonftratio illa non declarando quod,quia B notum erat,nihil notificaret, negatur hoc,notum .n. reddit quod prius à quærentibus ignorabatur, uidelicet, non effe animal efficere ut paries non refpiret, quamuis non fit uera caufa,& uerum propter quid; fatiffecit itaque illa demonftratio propofitæ quæftioni quantum licuit, quia oftendit caufam ad quæfitum, quæcunque illa fuerit.Nec obftat huic noftræ refponfioni dictum philofophi,uidelicet,in his non propter quid,fed ipfius quia demonftrationem effe, quoniam philofophus non uult dicere, demōftrationem illam non effe propter quid, quia nullam caufam notificat, uerum quia non habet caufam proximam, fed remotam, quamobrem meretur potius (ut fupra diximus) nomen demonftrationis quia, quàm ipfius propter quid; proinde,meo quidem iudicio, non infpiciendo demonftrationis naturam,Ariftoteles defēdi poteft.Hæc oīa.quæ hucufque à nobis dicta fūt,poffūt inferuire etiā refpōfioni ad ea,quæ fubfequūtur, nēpe,(cæterū ad plenioré huius dogmatis cōfutationē,&c.) cū itaque detur demōftratio propter qd tātū ut alia demōftrationis fpecies à potisfima effētialiter diftincta,firma C remanet ea demōftrationis diuifio, quā Auerroes ex mēte philofophi in primo Pofteriorū capite decimo facit, quæ hūc ī modū fe habet,oīs demōftratio aliqd notū faciés, effentialē progreffū habet uel à caufa ad effectū,uel ab effectu ad caufam,fi à caufa,aut proxima,aut remota,à caufa proxima fit demōftratio propter quid cōmunis ad potisfimā,& propter quid tantum,fi.n. fiat effentialis progreffus à caufa proxima nobis immediate cognita, efficitur una fpecies demonftrationis, quæ dicitur potisfima, fi uero fiat à caufa proxima nobis mediate cognita,uidelicet, mediante demonftratione quia, oritur altera fpecies, quæ ab Auerroe appellatur propter quid,feu caufæ tātū; at fi effentialis progreffus fiat uel à caufa remota,uel ab effectu,tertia efficitur fpecies,quæ ab omnibus uocatur demōftratio uel quod,uel quia.nō folū igitur ex parte medii,fed etiā ratione quæfitorū dātur(ut declarauimus)tres demonftrationis fpecies, quare firma non remanet ea demonftrationis diuifio, quā ipfi fecerunt,nec argumētū ex Auerroe fumptū (nifi fallimur) ab eis diffoluitur, cum probauerimus dari difcrimen inter demonftrationem potisfimam, & propter quid tantum in principiorum D conditionibus, ac poffe demonftrari propter quid fine demonftratione ipfius

A quod. sed aliquis de hac diuisione forsitan nobis obiiceret, ut in ea posuerimus quod aduersarii facile negare possent, dari, scilicet, demonstrationem propter quid communem ad potissimam,& propter quid tantum, qua propter id probare ipsiusmet philosophi auctoritate decreuimus. Nam in primo Post. contextu decimo Aristoteles selectionem faciens eorum modorum dicendi per se, qui eam demonstrationem ingrediuntur,quam ipse simpliciter uocat, alii uero potissimam,determinat,eos duntaxat huiusmodi demonstrationem ingredi,qui nexum causæ,& causati necessarium habent; hi sunt primus, & secundus, quartus uero ut quartus minime, quamuis enim ipse quoque prædictæ demonstrationi adhibeatur,non secundum suum totum ambitum, idest,non ut quartus ei adhibetur,sed quatenus concurrit cum primo,& secundo,quod euenit quando causa efficiens est effectui annexa, in eiusque definitione ponitur, at quando est ab effe B ctu disiuncta,in eiusq; definitione minime collocatur,non potest huius causæ genus prædictæ demonstrationi accommodari. in secundo autem Posteriorum cõtextu undecimo,& in secundo Physicorum contextu septuagesimo secundo asserit,quatuor genera causarum medium esse in demonstratione à priori, seu propter quid,& propterea quartum modum secundum suum totum ambitum in ea sibi locum uendicare. quamobrem uidetur philosophus locis citatis innuere,differentiam esse ratione medii, atque ideo essentialem inter eas demonstrationes propter quid,quarũ una simpliciter,seu potissima, altera uero propter quid tantum appellatur.cum itaque huiusmodi demonstrationes ita inter se differãt, ut una,uidelicet,propter quid tantum,altera,nimirum,potissima esse non possit, ad credendum inducor,ut etiam ex mente philosophi detur demonstratio cõmunis ad potissimam,& propter quid tantum. Dixi,etiam ex mente philosophi, quia ex ea causarum,& causatorum dispositione,de qua in capite septimo ad mẽtem commentatoris copiose locuti sumus, & præcipue ex ultimo membro id manifestissimum apparet.

C

Ex aliorum sententia auctoritatem illam philosophi in secundo Posteriorum libro contextu octauo secundum ueterem sectionem ab Auerroistis non intelligi,eisq; aduersari declaratur.

CAP. XIIII.

ERAT pro Auerroistis locus ille pulcherrimus philosophi in trigesima nona particula secundi libri Posteriorum, cuius hæc sunt uerba, (sicuti D enim propter quid quærimus, habentes quia est, aliquando autem & simul manifesta fiunt, &c.) ad quem ut firmam, ac solidam responsionem nonnulli afferant,declarandam esse inquiunt Aristotelis sentẽtiam in illis uerbis,

tum ut rei ueritas cognoſcatur, tum etiam ut appareat, Auerroiſtas hac in re A apparentibus tantum, ac fallacibus argumentis uti. Scopus igitur Ariſtotelis in ea parte ex ipſorum ſententia eſt, docere, quæ nam ſit ea demonſtratio, quæ non ſolum declarat quòd eſt, ſed etiam quid eſt, uult enim oſtendere, eam tantum demonſtrationem, quæ notificat quòd eſt ſimul cum ipſo propter quid eſt, ducere nos in cognitionem ipſius quid eſt; eam uero, quæ declarat ſolum quòd eſt, nullo modo nos ducere ad cognoſcendum quid eſt; hoc igitur ut oſtendat, conſiderat eo in loco ordinem, quem in quærendo ſeruamus tum in ſimplicibus, tum in complexis quæſtionibus, ut à complexis ducat nos in cognitionem ſimplicium, quandoquidem in accidentibus hæ, & illæ in eundem ſenſum cadunt, idem enim eſt de accidente quærere an ſit, & quærere an inſit; ita idem eſt quærere propter quid ſit, & quærere quid ſit; de ordine igitur quæſtionum complexarum Ariſtoteles tria dicit, Primum eſt, quæſtio quòd præcedit quandoque tempore quæſtionem propter quid, aliquando enim prius nouimus quòd eſt, poſtea quærimus propter quid eſt. Secundum eſt, quandoque non alterum prius alterum poſterius, ſed ſimul utrunque nobis innoteſcit. Tertium eſt, non poſſumus cognoſcere propter quid eſt dum ignoramus quòd eſt. idem dicit de ſimplicibus quæſtionibus, quandoque etenim cognoſcimus rem eſſe, deinde quærimus quid ſit; quandoque utrunque ſimul innoteſcit; ſed nunquam cognoſcimus quid ſit dum ignoramus an ſit. ut tria hæc dicta declaret Ariſtoteles, inquit, poſſe duobus modis cognoſci quòd res ſit, uno modo per aliquid ipſius rei, nimirum, per eius cauſam, altero autem modo per accidens, hoc eſt, abſque cognitione cauſæ; tandem docet, ea demonſtratione, quæ per accidens facit nos cognoſcere rem eſſe, non declarari propter quid, ſed ſolum quòd, qua cognitione cum animo noſtro non ſatisfiat, ideo quærimus poſtea propter quid ſit; ea propter eiuſmodi demonſtratio C non confert ad cognoſcendum quid eſt. ſi uero demonſtratio rem eſſe declaret per cauſam rei, tunc ſimul cognoſcimus quòd eſt, & propter quid eſt, proinde inuenimus ſimul rem eſſe, & quid ſit; demonſtratio igitur, quæ declarat propter quid eſt, illa eſt, quæ tradit cognitionem ipſius quid eſt. hæc eſt eo in loco ſententia Ariſtotelis, quam non Auerroi, eiuſq; ſectatoribus, ſed ſibi ipſis fauere aiũt, ſi bene intelligatur, idq; demonſtrant, iactis prius quibuſdam fundamentis, quorum unum eſt, nunquam duabus ſimul quæſtionibus nos uti, ſed ſemper una, aut enim quærimus an ſit, aut quærimus propter quid ſit, ſed an ſit, & propter quid ſit nunquam ſimul quærimus; quando quærimus an ſit, tunc ignoramus utrunque, quando autem cognoſcimus quòd eſt, quærimus propter quid eſt. ex quo hoc aliud deſumunt, nunquam quæri propter quid eſt, niſi quando cognoſcitur quòd eſt, dum enim ignoramus utrunque, non licet quærere propter quid eſt, quia hæc quæſtio ex neceſſitate ſupponit cognitum quòd ſit. aliud etiam notandum eſſe aiunt, quod ex his, quæ dixerunt, colligitur, euenire interdum, ut poſt quæſtionem aliquid inueniamus, quod non quærebamus, nam quando ignora- D mus & propter quid, & quòd, non licet quærere niſi quòd, fieri tamen poteſt, ut quærentes an ſit incidamus in cauſam rei, per quam ſimul oſtendamus, &

A quod est, & propter quid est. nec obstat, Aristotelem in principio secundi libri Posteriorum dixisse, ea, quæ quæruntur, numero æqualia esse iis, quæ sciuntur, quia ibi loquitur de modis quærendi, & sciendi generaliter acceptis, quatuor nã que sunt tum hi, tum illi, nec plures dantur, quare numero æquales sunt; at non loquitur de ipsis rebus particulatim acceptis, quæ sciri, ac quæri possunt, constat enim, non esse æqualem earum numerum, cum multa sciantur, quæ nunquam fuerunt quæsita, ut prima principia omnibus nota; contra uero multa quærun tur, quæ nunquam scientur, ut stellarum, & arenarum numerus. Ex his tandem colligunt, aliud esse de quæsitis loqui pro ut ante demonstrationem quæruntur, aliud esse de iisdem loqui pro ut per factam demonstrationem notificantur; nã (ut dicebant) demonstrationem omnem una tantum quæstio præcedere potest, B nunquam duæ, attamen per aliquam demonstrationem duo simul innotescunt. His ita constitutis, ostendunt, ea, quæ ibi dicuntur ab Aristotele, eorum sententiæ non officere, nam inquit philosophus, nos quandoque cognoscentes quod est, quærere propter quid est, quandoque etiam utraque hæc eadem demonstratione nobis manifesta fieri; ipsi autem ostendunt, aliud esse id, quod ante demonstrationem quæritur, aliud esse id, quod per demonstrationem notificatur, licet igitur dicat Aristoteles, nos quærere propter quid quando prius nouimus quod est, ob id non dicit, demonstrationem dari, per quam solum propter quid notificetur, quæritur quidem propter quid solum, sed mox facta demonstratio notificat & propter quid, & quod; quemadmodum è conuerso; quærimus aliquando solum an sit, deinde demonstratio simul nobis declarat & quod sit, & propter quid sit; sicut igitur ante hanc demonstrationem quærebamus solum an sit, ita ante illam quærebamus solum propter quid sit, eadem tamen est utriusque demonstrationis natura, & efficacia, quæ notificat simul utrunque; quod quidem ipsemet Aristoteles in eodem contextu affirmat, dicit enim, ante causæ co C gnitionem licet quandoque uideatur notum esse quod sit, tamen re uera non esse notum nisi ex accidenti; tota igitur differentia, quam considerat Aristoteles inter eam demonstrationem, quæ fit post quæstionem propter quid est, & eam quæ simul utrunque notificat post quæstionem an sit, consistit in quæstionibus, quæ demonstrationem præcedunt, non in iis, quæ per utranque demonstrationem notificantur, utraque enim æque notificat propter quid, & quod, licet alterã præcesserit sola quæstio propter quid, alteram uero sola quæstio an sit; demonstrationis autem natura non in quæstione præcedente, sed in iis, quæ notificantur, constituta est, & ab his appellationem sumere debet, non à præcedentibus quæstionibus, quæ à sola animi nostri accidentaria affectione pendent, quoniam aliquando leuiter, & ex accidenti cognoscimus quod est, aliquando id penitus ignoramus, ob id alio, & alio modo quæstionem proponimus; attamen uecumque nos quæramus, eadem semper seruatur uis notificatiua demonstratio D nis. Patet igitur locum illum Aristotelis in secundo Posteriorum libro ab Auerroistis non intelligi, & eis causam erroris fuisse, Aristotelem in illis tribus dictis considerare eas quæstiones etiam ut demonstrationem præcedentes, non solũ ut

per demonstrationem notificatas; earum enim ut præcedentium differentia nullum discrimen facit in quæsitis, quæ sunt demonstrationis finis, neque diuersas demonstrationis species constituit; sed quando Aristoteles statim in sequentibus uerbis quæsita illa non amplius ut præcedentia, sed solum ut per demonstrationem notificata considerat, duas tantum demonstrationis species ponit ratione quæsitorum notificatorum distinctas, dicit enim duobus modis cognosci rem esse aut per accidens, aut per causam, duas demonstrationis species significans, cum enim omnis demonstratio aliquid esse ostendat, alia id facit per causam, alia sine traditione causæ. Addunt aliud argumentum aduersus Auerroem (ut ipsi dicunt) efficacissimum, nam Aristoteles ibi docet, per eam demonstrationem, quæ rem esse ostendit non per suam causam, minime cognosci quid est, sed per eam tantummodo, quæ rem esse demonstrat per suam causam; hoc posito, argumentantur hunc in modum, sola demonstratio ostendens rem esse per causam suam est illa, quæ declarat quid est, quo fit ut omnis demõstratio declarans quid est ostendat rem esse per suam causam, hoc enim asserit eo in loco manifeste Aristoteles; atqui demonstratio, quam uocant propter quid tantum, seu causæ tantũ, declarat quid est, ut Auerroes fatetur in trigesimo nono, & quadragesimo commentariis secundi libri Posteriorum, hæc igitur declarat rem esse per causam suam, declarat igitur rem esse, quod Auerroistæ negant. A B

Impugnantur ea, quæ in superiori capite dicta sunt.

CAP. XV.

ADmissa uerborum Aristotelis in trigesima nona particula secundi libri Posteriorum interpretatione, quam eis dat instantia, non potest auctoritas illa philosophi aduersariorum sententiæ non officere, quoniam si ea, quæ quæruntur, hac ratione quæruntur, ut (si fieri possit) sciantur, interdumq; per Aristotelem cognoscentibus quod licet quærere propter quid, de necessitate sequitur, dari aliquam demonstrationem, per quam solum propter quid manifestum fiat, nam si tam in quæstione propter quid, quàm in quæstione an sit, post factam demonstrationem notum redderetur utrunque quæsitum, quod, scilicet, & propter quid, non rectè dixisset philosophus in particula illa trigesima nona secundi Posteriorum, aliquando autem, & simul manifesta fiunt, quia semper, non aliquando id eueniret, si, dum quærimus solum propter quid habentes quod, mox, facta demonstratione, redderetur notum & propter quid, & quod; sed causa huius erroris fuit, existimare, nos semper, dum unum quærimus, duo inuenire, nam licet hoc dictum locum habeat in quæstione an sit quando illam cognoscimus à priori per suam causam proximam, quia tunc, dum quærimus an sit, ignoramus utranque quæstionem; locum tamen non habet nec in eadem quæstione quando illam cognoscimus à posteriori, & secundum accidens, tunc enim C D

A per Aristotelem in illo octauo contextu scimus rem esse, & quod, ignorantes quid, & propter quid; nec locum habet in quæstione propter quid, quoniam id in ea inuenire non possumus, quod non quærebamus, uidelicet, ipsum quod est, quia illud ante quæstionem ipsius propter quid sciebamus, immo ignorato quod non potest quæri propter quid. Nec obstat, Aristotelem dicere, ipsum quod esse scitum secundum accidens, quia loquitur comparatiue, id enim uerum est in comparationem ipsius propter quid, nam scire per posterius in comparationem ipsius scire per prius habetur pro ipso scire secundum accidens; ueritati autem non conuenit, si scire quod secundum se consideretur, etenim scire non fuisset ab Aristotele recte diuisum in primo Posteriorum libro contextu trigesimo, si scire quod sine causæ cognitione esset (ut requirit instantia) semper scire secundum accidens, & ignoratio potius quàm scientia, ibi enim diuidit philosophus scire B per se licet analogum sit, non scire commune ad per se, & secundum accidens. præterea, si cognosceremus quod sensu ipso, non ne per Aristotelem in octauo Physicorum contextu uigesimo secundo esset optime cognitum? certe quidem, quoniam frustra (ut alias dictum fuit) quæritur ratio, quando superabundat sensus. Patet itaque, locum illum Aristotelis ab Auerroistis optime intelligi, etiam si considerentur quæstiones illæ ut notæ per demonstrationem, Aduersariorumque opinioni nullo pacto inseruire. Quo ad aliud argumentum, antequam ei formaliter respondeamus, notandum esse duximus, Aristotelem in secundo Posteriorum contextu illo octauo secundum sectionem ueterem comparantem inter se demonstrationes, quæ possunt notum facere quod est, eam scilicet, quæ rem esse non per suam causam, & eam, quæ rem esse per suam causam notificat, uelle, cognosci, & haberi quid est non per primam, sed per alteram demonstrationem rem esse per suam causam ostendentem, ob id non dicit, quid est cognosci non C posse per aliam demonstrationem à priori, nempe, per eam, cuius ope (ut declarauimus) solum propter quid notum redditur. hoc posito, formaliter ad argumentum respondemus, uerum esse, inter demonstrationes rem esse ostendentes, illam solam facere ut cognoscatur quid est, quæ rem esse per suam causam ostendit, negamus id tamen, quod ex eo colligunt, omnem, scilicet, demonstrationem, quæ facit ut cognoscatur quid est, ostendere ex sententia philosophi rem esse per suam causam, cum et ex demonstratione, quæ solum propter quid ostendit, possit elici definitio, ut patet per ea, quæ diximus in disputatione de medio; ex falsitate igitur maioris propositionis sequitur falsitas conclusionis, ut, scilicet, demonstratio propter quid, seu causæ tantū ostendat rem esse per suā causā.

Laus Deo Optimo Maximo, Qui Trinus, & vnus est.

D FINIS.

BERNAR-

BERNARDINI PETRELLAE LOGICARVM DISPVTATIONVM

Liber Septimus

DE POTISSIMAE DEMONSTRATIONIS MEDIO. B

Nonnulli termini explicantur.

CAP. I.



ERDVCTA ad exitum diſputatione de ſpeciebus demonſtrationis,ad eam,quæ de potiſsimæ demonſtrationis medio eſt, accedimus, cuius titulum huiuſmodi eſſe debere præter multorum opinionem exiſtimamus, utrum,ſcilicet,medium, quod eſt ex mente philoſophi paſsionis demonſtrandæ ratio,ideſt, cauſalis definitio, ſit ſemper in demonſtratione potiſsima definitio quiditatiua ſubiecti, interdum enim medium in huiuſmodi demonſtratione eſſe C ſubiecti,ſeu minoris extremitatis definitionem quiditatiuam, omnes uno ore fatentur, ſemper autem,non omnes. dixi,ex mente philoſophi rationem illam paſſionis eſſe eiuſdem paſsionis demonſtrandæ cauſalem definitionem, quoniam uniuſcuiuſq; propriæ paſsionis,quæ nota fit per demonſtrationem, tres ponuntur definitiones ab Ariſtotele in primo Poſteriorum contextu uigeſimo ſecundo, & in ſecundo libro cõtextu decimo ſecundum ueterem ſectionem,quarum una appellatur definitio cauſalis,altera uocatur eſſentialis ſine cauſa,tertia, & ultima ex his compoſita eſſentialis cum cauſa nuncupatur. deſignans philoſophus his definitionibus locum in demonſtratione,ait,cauſalem principium, eſſentialem ſine cauſa concluſionem demonſtrationis, eſſentialem uero cum cauſa eſſe ipſammet demonſtrationem ſolo terminorum ſitu ab ea differentem, ex quo colligimus, utranque eſſentialem non poſſe eſſe medium, non eſſentialem ſine cauſa, quia ſemper eſt concluſio, nunquam demonſtrationis principium; neque eſſentialem cum cauſa,quoniam eadem eſt cum demonſtratione,quæ ſuimet principium,atq; ideo medium eſſe non poteſt,ſequitur igitur per ſufficientẽ enu D merationem,ſolam definitionem cauſalem paſsionis demonſtrandæ medium de

A berę eſſe in potisſima demonſtratione, ut gratia exempli, riſibilitatis, quæ ho minis proprietas eſt, tres ponuntur definitiones, una eſſentialis ſine cauſa, ſeu improprie quiditatiua, dico improprie, quia proprie ſolius ſubſtantiæ quiditas eſt, & hæc conſtans ex genere, proximaq; differentia, eſt aptitudo hominis ad ridẽdum; altera cauſalis, quæ continet ſolum cauſam inhærentiæ pasſionis in ſubiecto, qua carent formæ ſubſtantiales, licet habeant efficiens extrinſecum, à quo producuntur in ipſum eſſe, & hæc definitio cauſalis eſt, animal rationale, per qđ riſibilitas ineſt homini; tertia demum ex his duabus conſtructa, quæ nuncupatur eſſentialis definitio cum cauſa, eſt aptitudo hominis ad ridendum propter animal rationale. ex quo clare patet, medium ad concludendum homini riſibilitatẽ inhærere non eſſe, niſi animal rationale, quod eſt definitio cauſalis riſibilitatis; differentia inter hanc cauſalem, & quiditatiuam definitionem cognoſcitur, eò quia in definitione quiditatiua quidquid eſſentialiter prædicatur de definitione,
B prædicatur etiam de definito per regulam philoſophi in antepraedicamentis, (quando alterum de altero prædicatur, &c.) in definitione uero cauſali non ita ſe res habet, nam animal rationale, prædicatur de riſibili quatenus eſt eius definitio cauſalis, ſi dicatur, riſibile eſt animal rationale, at de animali rationali prædicatur uel corpus, uel ſubſtantia, quæ nullo pacto de riſibili prædicantur, non enim dicimus, riſibile eſt corpus, uel riſibile eſt ſubſtantia. cognito per rationem, quando philoſophus ait, medium eſſe rationem primi extremi, non poſſe intelligi niſi eius definitionem cauſalem, cognoſcitur etiam quod fruſtra quæritur à nonnullis in hac diſputatione, utrum medium ſit definitio quiditatiua pasſionis, uel ſubiecti, cum definitio quiditatiua pasſionis nunquã poſſit eſſe principiũ demonſtrationis, quorum errorem nos quoque alios ſecuti fuimus; fruſtraq; etiã à nonnullis aliis quæritur, in quo genere cauſæ reponi debeat cauſa illa pasſionis demonſtrandæ, quæ pro medio ſumitur in potisſima demonſtratione, nam ſi
C ab omni cauſarum genere definitiones ſumuntur, & medium (ut probatum eſt) non poteſt eſſe definitio eſſentialis pasſionis ſine cauſa, quæ fundatur in cauſa formali, & materiali in qua eiuſdem pasſionis, clare patet, medium, quod eſt cauſa primi extremi, ſeu maioris extremitatis, non poſſe reponi niſi in genere cauſæ efficientis, & finalis ratione pasſionis demonſtrandæ: ſed hic aduertendum eſt, efficiens eſſe duplex, uerum, ſcilicet, & non uerum; efficiens uerum illud eſt, quod non ſemper producit effectum, ut uidere eſt de iugulatione, quæ dicitur mortis cauſa efficiens uera, quia non ſemper efficit mortem, cum ab aliis cauſis mors euenire posſit, efficiens autem non uerum eſt quod ſemper effectum ſuum producit, cum ab alia cauſa effectus ille non posſit prouenire, ut patet de animali rationali, quod dicimus eſſe riſibilitatis cauſã efficiẽtẽ nõ uerã, quia ſub qualibet tẽporis differẽtia, poſito animali rõnali, ponitur riſibilitas, q̃ ab alia cauſa produ-
D ci nõ poteſt; & hoc efficiẽs nõ uerũ illud ẽ, quod coincidit cũ forma. quando igitur dicimus, mediũ non poſſe collocari niſi in genere cauſæ efficiẽtis, & finalis, per cauſam efficientem intelligimus efficientẽ non uerã, quatenus, ſcilicet, cauſæ efficienti accidit, ut ſit ſemper ſuo effectui annexa, tunc enim recedit à propria

natura,quæ eſt non ſemper effectum ſuum comitari. cum itaque determinatum A
ſit à nobis, per rationem primi extremi non poſſe ab Ariſtotele intelligi niſi
cauſalem definitionem,quæ explicat propter quid eiuſdem primi extremi, in-
conueniensq́; non ſit,ut idem eſſe poſsit propter quid paſsionis demonſtrandæ,
& quid ſubiecti, iure optimo in hac diſputatione quærendum exiſtimauimus,
utrum medium, quod eſt ex mente philoſophi ratio,ideſt, cauſalis definitio paſ-
ſionis demonſtrandæ, ſit ſemper in demonſtratione potisſima definitio quidita
tiua ſubiecti. per demonſtrationem potisſimam quid intelligi debeat, ſatis, ſu-
perq́; explicatum fuit à nobis in præcedente libro. per medium intelligi debet
medium rei,quod eſt cauſa,à qua paſsio demonſtranda habet ut ſit, & conſerue
tur; ex quo fit,ut ab huiuſmodi medio rei,quod emanare dicitur à materia ne-
ceſſaria neceſsitate ſimpliciter,circa quam uerſatur demonſtratio potisſima,ne-
ceſſaria colligatur concluſio,nam de medio conſequentiæ, ſeu illationis,quod di B
cimus eſſe, quando ex conceſsis quibuſdam concluſio de neceſitate ſequitur,
in præſentia ne uerbum quidem,cum illud proueniat ex parte formæ ipſius de-
monſtrationis, quæ ſyllogiſmus eſt, de quo primo in ordine ad demonſtratio-
nem uerba facit philoſophus in libris priorum,ſecundo autem loco ut commu-
nis eſt ad omnem materiam. declaratis terminis propoſitæ diſputationis, quid
de ea alii ſentiant prius examinare decreuimus.

Aliorum Opinio.

C A P. I I.

PLerique negatiuam partem ſuſtinentes hunc in modum argumentantur,cau C
ſa, propter quam unumquodque accidens eſt,debet eſſe medium, quo illud
demonſtratione potisſima demonſtretur, at multa accidentia ſunt,quorum cau
ſæ non ſunt eorum ſubiectorum formæ,ſed alia accidentia, ergo multa acciden-
tia ſunt, quæ per alia accidentia, non autem per eorum ſubiectorum definitio-
nes demonſtrantur potisſima demonſtratione;abſurdum igitur eſt dicere,in om
ni demonſtratione potisſima primi extremi rationem ſemper eſſe quiditatiuam
ſubiecti definitionem. maior propoſitio clara eſt ex definitione ipſius ſcire ſim-
pliciter, minor ſatis,ſuperq́; declarari poteſt & Ariſtotelis, & Auerrois teſtimo
nio,nã philoſophus in primo Poſteriorum contextu trigeſimo demonſtrat au-
gmentum luminis in Luna per eius ſphæricam figuram, in ſecundo uero libro
contextu octauo, & uigeſimo quinto oſtendit Eclipſim de Luna per terræ
interpoſitionem, tonitrum de nube per ignis extinctionem, foliorumq́; fluxum
de arboribus per humoris congelationem,in quibus demonſtrationibus mediũ
eſt ratio primi extremi, ſubiecti autem quiditatiua definitio minime. Verum
ne ullus amplius cauillãdi locus relinquatur, eas demonſtrationes eſſe potiſſi- D
mas hac ratione probare nituntur, illa demonſtratio eſt appellanda potisſima,

A quæ perfectam rei scientiam nobis tradit,ita ut nihil amplius de ea re quæri, uel cognosci possit; at demonstratio eclipsis Lunæ per terræ interpositionem tradit plenam ipsius eclipsis scientiam,ita ut nihil de eclipsi quærendum,uel sciendũ maneat, declarat enim eclipsim esse, & propter quid sit,atq; etiam quid sit, quoniam definitionem solo situ ab ea differentem elargitur,deq; aliis memoratis demonstrationibus idem uerificatur,ergo illæ omnes sunt potissimæ demonstrationes,quibus non dantur aliæ præstantiores, nec aliter existimandum esse aiũt, cum secundus Posteriorum liber sit omnium Logicorum librorum finis,& scopus,in quo de præstantissima demonstrationis specie sermonem fieri,non de illa, quæ est secundi gradus,pro comperto habendum est. Auerroes quoque in cõmentario trigesimo quinto primi Posteriorum , & in commentario quadragesimo secundi libri clare dicit, demonstrationem eclipsis Lunæ ex terræ obiectione esse potissimam demonstrationem. Et in cõmentario trigesimo primo quarti libri Physicorum declarans id, quod ibi dicitur ab Aristotele,bonam,scilicet, definitionem tradere causas accidentium,quæ in re definita insunt, inquit, dictum Aristotelis uerum quidem esse,at non reciprocari, nam omnis bona definitio subiecti debet tradere causas accidentium illius subiecti, sed non omne id, per quod redditur causa accidentium subiecti,est definitio ipsius, ergo apud Auerroem definitio subiecti non omnium eius accidentium causa est;quare aliquorum causæ in potissima demonstratione erunt alia accidentia,ut apertissime legitur apud eundem Auerroem in commentariis quinquagesimo sexto, & centesimo septuagesimo nono primi libri Posteriorum, & præcipue in illo commentario quinquagesimo sexto,ubi circa medium ait, magnam partem demõstrationum celebratarum esse per accidentia essentialia. melius itaque ex mente Commentatoris, immo ex sententia ipsiusmet philosophi dicendum esse uo-

C unt,medium semper esse causam maioris extremi; at si contingat aliquando, ut sit causa etiam,& quiditatiua definitio minoris,illud est raro, & extra consilium demonstrationis,quæ solam maioris extremi scientiam tanquam finem respicit, non minoris, ideo Auerroes id ex accidente esse dicit, quod esse intelligendum fatentur respectu potissimæ demonstrationis, cum id in ea raro contingat, sed non respectu illius causæ, quæ est terminus medius, non enim ex accidente aliqua causa est causa minoris,sed quando id contingat,ut eius causa sit,illa est per se causa tum minoris, tum maioris extremi.

Quæ superius allata fuerunt reiiciuntur.

CAP. III.

D RAtio,quæ in superiori capite allata fuit, meo qdẽ iudicio propositũ nõ cõcludit,quoniã minor cũ ueritate nõ cõuenit,& ad eius declarationẽ ex Ari

ſtotelis, & Auerrois teſtimonio reſpondemus, & primum quo ad Ariſtotelem, A demonſtrationes ab eo locis citatis formatas non eſſe potisſimas,licet omnes ſint à cauſa non remota; & ad probationem reſpondemus, non ualere huiuſmodi conſequentiam, hæc demonſtratio perfectam rei ſcientiam nobis tradit, ita ut nihil amplius de ea re quæri, uel cognoſci poſsit, ergo eſt potisſima; ſicuti non cogit hæc necesſitas, ut in ſecundo Poſteriorum debeat fieri ſermo de præſtantisſima demonſtrationis ſpecie, quia ſit liber ille omnium Logicorum librorum finis, & ſcopus; ſed illa debet nuncupari potisſima, quæ habet potisſimæ demonſtrationis conditiones, quibus demonſtrationes à philoſopho propoſitæ uidentur carere, cum in eis cauſa, quæ pro medio ſumitur, ſit cauſata, & demonſtrabilis, quod repugnat potisſimæ demonſtrationis medio. eſſe in illis demonſtrationibus pro medio cauſam cauſatam, oſtendimus eadem ratione,qua probant ipſi contra fundatisſimum Egidium, non poſſe dari aliquod accidens primum indemonſtrabile, quod abſque cauſa in aliquo ſubiecto hæreat, ad demonſtrandum B de eodem ſubiecto aliud accidens; ratio huiuſmodi erat, accidens illud primum uel cauſam aliquam habet, uel non, ſi habet,non eſt igitur indemonſtrabile,quia quidquid extra ſe cauſam habet, qua eſt, ex ea poteſt, ac debet demonſtrari; ſi uero nullam cauſam habet,per quã in illo ſubiecto inſit, ſequitur, ut in illo ſubiecto non inſit per ſe, ſed per accidens, ideo nullum in demonſtratione locum habere poteſt, ea namque omnia, quæ ex accidenti ſunt, alienisſima eſſe à demonſtrationis natura docuit Ariſtoteles. hac poſita ratione, accipiamus demonſtrationem illam de accretione luminis in Luna eo quia ſphæricæ ſit figuræ; quam ipſi iudicant eſſe potisſimam, & quod de ea probabitur, erit etiã de cæteris probatum; petimus igitur ab eis, an ſphæricum eſſe, quod accidens eſt, cauſam aliquam habeat, nec ne, ſi reſpondeant, cauſam non habere, tantum abeſt, ut demonſtratio illa ſit potisſima, ut nullo pacto ſit demonſtratio, cum alienisſimum ſit à demonſtrationis natura quod eſt per accidens,ſicuti eueniret in illa demonſtratione, ſi ſpæricum eſſe non haberet cauſam,ineſſet enim Lunæ ſine cauſa,ergo C per accidens, quod (ut diximus) abhorret à demonſtrationis natura; ſi uero reſpondeant, ut innuere uidentur, cauſam habere,nam opinantur, eam eſſe Lunæ rationem,ſphæricum eſſe erit cauſa cauſata, quod non poſtulat demonſtratio potisſima, ut elicitur ex Ariſtotele in primo Poſteriorum contextu quincto, ubi colligens philoſophus omnes principiorum conditiones,dicit, inter cæteras,principia eſſe debere prima, & immediata. ſi itaque huiuſmodi demonſtratio hoc nomine potisſima non eſt, propter eandem cauſam non erunt etiam potisſimæ reliquæ memoratæ demonſtrationes de Lunæ defectu,de tonitruo, & de foliorũ fluxu, de quibus Ariſt. mentionem fecit in ſecundo Poſteriorum locis citatis, non autem de iis,quæ pro medio habent quidditatiuam ſubiecti definitionem,ùt innueret, medium potisſimæ demonſtrationis, licet non posſit eſſe niſi ratio ſubiecti, D ut infra ſuo loco explicabimus, non conſiderari in ea ut eſt ratio ſubiecti,ſed ut eſt cauſa, & propter quid pasſionis demonſtrandæ. Poſſet hic noua ratio adduci ad oſtendendum potisſimam non eſſe eam demonſtrationem de Lunæ defectu

A propter terræ interpositionem, quoniam non habet omnes propositiones per se, quod potissimæ demonstrationi repugnat, uerum quia de ea satis, superq; uerba feci in quarto libro capite decimo quarto, ad ea, quæ ibi dicta sunt, me refero. Quo ad Auerrois auctoritates, dicimus, & primo ad primam, Auerroem consueuisse uocare demonstrationem propter quid non potissimam, sicuti est illa de Lunæ defectu propter terræ interpositionem, sub nomine demonstrationis simpliciter, ut facit in citato commento quadragesimo secundi Posteriorum, non autem sub nomine demonstrationis potissimæ, licet apud Aristotelem simpliciter, & potissime idem significent, nec re uera asserere potest Auerroes, demonstrationem illam de Lunæ defectu propter terræ interpositionem esse potissimã, propterea quod suis aduersaretur principiis, nam pro comperto habet, principia potissimæ demonstrationis debere esse nota natura, & nobis; natura, quatenus causæ sunt, nobis uero non mediate, uidelicet, per demonstrationem quia, sed B immediate, auxilio ipsius sensus. cum igitur terræ interpositio nobis infra Lunã existentibus beneficio sensus nota esse non possit, quia oculis nostris penitus occulta est, clare patet, demonstrationem illam de Lunæ defectu propter terræ interpositionem non posse ex Auerrois sententia dici potissimam, sed propter quid tantum. pro intelligentia responsionis ad secundam eiusdem Auerrois auctoritatem in quarto Physicorum commento trigesimo primo, aduertendum est, aliquid posse esse causam propriorum accidentium duobus modis, uel existendi, & inferendi simul, uel solum inferendi. causa existendi, & inferendi simul non potest esse ex eius principiis nisi forma subiecti, cum per eundem Auerroem id, quod dat esse speciei, det etiam consequentia ad ipsum esse, quæ sunt illius speciei proprietates; causa uero inferendi solum esse potest aliud accidens proprium; nam si de eius sententia unum accidens proprium alicuius subiecti daret esse alteri proprio accidenti eiusdem subiecti, esset medium ad illud alterum accidens propriũ C potissima demonstratione ostendendum, ergo in maiori propositione accidens de accidente prædicaretur prædicatione substantiali, cum maior per eos in omni potissima demonstratione uel per causas externas, uel per causas internas debeat esse per se; sed ex mente Commentatoris in secundo Posteriorum commento trigesimo octauo sub initium consequens est falsum, cum ibi dicat Auerroes (quoniam prædicatio definitionis de definitione non est substantialis, quemadmodum inexistentia propriorum sibi inuicem non est prædicatio substantialis,) ergo falsum est antecedens, ut, scilicet, unum accidens proprium sit causa existendi alicuius alterius proprii accidentis eiusdem subiecti. hac posita animaduersione, dicimus, Auerroem, quando ait in illo trigesimo primo commento quarti Physicorum, (sed non omne id, per quod redditur causa accidentium subiecti, est definitio ipsius,) per causam intelligere causam inferendi solum, & ita optime loquitur, D tur, quia non id omne, per quod redditur causa illationis accidentium propriorum alicuius subiecti, est eiusdem subiecti definitio, at ex eius sententia utique subiecti definitio est id omne, per quod redditur accidentium propriorum causa existendi, & inferendi simul. quare parum cum ueritate uidentur conuenire quæ

afferunt de Commentatore, esse, scilicet, ex eius sententia aliquorum acciden- A
tium causas in potisſima demonſtratione alia accidentia, cum ſecundo Posterio
rum libro commentario illo trigeſimo octauo affirmet, prædicationem proprii
de proprio non eſſe ſubſtantialem, ſine qua ſubſtantiali prædicatione non poteſt
eſſe potisſima demonſtratio. Demum ad alias duas eiuſdem Commentatoris au
ctoritates, & præcipue ad illam in quinquageſimo ſexto commentario primi Po
ſteriorum reſpondemus, Auerroem per demonſtrationes celebratas non intelli-
gere tantummodo potisſimas, ſed omnes demonſtrationes à priori in compara-
tionem demonſtrationum à poſteriori, quæ potius ſyllogiſmi, quàm demonſtra
tiones nuncupari ſolebant; inter quas demonſtrationes à priori ut in ſuperiore
libro oſtenſum fuit, continentur demonſtrationes propter quid potisſimæ, &
propter quid non potisſimæ, quamobrem optime dixit, magnam partem demō
ſtrationum celebratarum, ideſt, à priori eſſe per accidentia eſſentialia, intelligen B
do per magnam partem celebratarum demonſtrationum omnes illas, quæ ſunt
propter quid non potisſimæ, ratione uero potisſimarum, quæ ſunt inter alias de
monſtrationes tanquam aurum purum inter mineralia,& adamas inter gemmas,
medium ex ſententia Commentatoris, atque etiam ipſius philoſophi non poteſt ul
lo pacto eſſe accidens, alioquin dicendum eſſet, grauisſimum Commentatorem
fuiſſe inconſtantisſimum in huiuſmodi ſpeculatione, & ab Ariſtotele longisſime
declinare. Quod ſpectat ad propriam eorum opinionem, ſi animaduertiſſent illa
duo Ariſtotelis fundamenta, ſuper quibus collocata eſt huius diſputationis pars
affirmatiua, non tam facile pronunciaſſent, ſententiā Commentatoris eſſe ex mē
te philoſophi, ut raro medium in potisſima demonſtratione ſit etiam cauſa, &
quiditatiua minoris extremitatis definitio, cum ex illis fundamentis oppoſitum
colligatur, quod luce clarius apparebit, quando inferius de opinione noſtra uer
ba faciemus, ubi aſſerimus etiam nos, medium eſſe pasſionis demonſtrandæ cau C
ſam per ſe, ſubiecti uero per accidens, non tamen eo modo, quo dicunt ipſi, ut,
ſcilicet, ei raro adueniat, cum in potisſima demonſtratione cauſa, & propter
quid pasſionis ſit ſemper (ut ibi probabimus) quiditatiua ſubiecti definitio; ſed
quia non conſideratur ut cauſa, & quiditatiua ſubiecti definitio.

Ex aliorum ſententia quædam cognitu maxime digna proponuntur, quibus deſtruitur fundamentum obiectionis in ſuperiori capite à nobis allatæ aduerſus ibi commemoratas demonſtrationes.

CAP. IIII.

FVndamentum, quod nos ſuperiori capite mouebat, ut crederemus, demon-
ſtrationes ibi commemoratas non eſſe potisſimas, fuit (quemadmodum eo D
in loco diximus) contextus quinctus primi libri Poſteriorum; ut autem huius

A modi fundamentum facilius deſtrui poſsit, quædam maxime digna cognitu non nulli adnotanda eſſe iudicauerunt, & præcipue, omnem demonſtrationem propter quid eſſe demonſtrationem potisſimam, cum demonſtratio propter quid perfectisſimam rei ſcientiam tradat,& in definitionem conuertatur; nam hæc appellatio, potisſima demonſtratio, & ſi reprænhendenda non eſt,apud Ariſtotelem tamen non reperitur, de hac enim demonſtratione loquens, ſolet eam appellare ἀπόδειξιν τοῦ διότι, ideſt, demonſtratioẽ propter quid,uel etiã ſimpliciter loquendo,& abſque ulla additione ἀπόδειξιν, tali namque appellatione id, quod in uno quoque genere ſummum, ac præcipuum eſt, ſignificamus,hinc eſt, ut Auerroes hanc ſoleat uocare demonſtrationem ſimpliciter. ſed quia non datur apud Ariſtotelem demonſtratio præſtantior, quàm ea,quæ declarat propter quid eſt,ideo nunc omnes conſueuerunt eam potisſimam demonſtrationem appellare. uerum quia demonſtratio perfectisſimam ſcientiam non tradit, niſi quia ex perfectisſi-
B mis principiis, & omnes conditiones habentibus conſtat, neceſſe eſt, propoſitiones cuiuslibet demonſtrationis declarantis propter quid eſt omnes habere conditiones, quas philoſophus poſuit, nam una deficiente, non demonſtraretur niſi quòd eſt: at ſi præter illas conditiones,quas attulit Ariſtoteles, quiſpiam nouam aliquam conditionem in medium adduceret, qua demonſtratio nobilior, ac præſtantior efficeretur, illa conditio (ut exiſtimant) adderet quidem demonſtrationi aliquid nobilitatis, ac dignitatis, tamen non ita, ut id, quod additur,aliquid conferat ad præſtantiorem ſcientiam efficiendam, quod putant tali exemplo poſſe optime declarari; Officium clauis eſt aperire, & claudere, hanc operam ut clarius præſtare ualeat, neceſſarium eſt ut ferrea ſit,ferrum enim duriſſimum eſt omnium metallorum, & ad hoc munus aptisſimum; ſi modo duæ proponãtur claues ferreæ æquales, ac ſimiles in reliquis, ſed altera inaurata, altera minime, illa quidem, quæ eſt inaurata, alteri nobilitate præſtat, attamen ad proprium mu
C nus exercendum aptior dici non poſſet, altera enim æque apta eſſet, licet non aurata, ſed ferrea ſolum, inauratio igitur nobilitatem quidem claui largitur, non eſt tamen conditio neceſſaria ad operationem clauis, ſed ſatis eſt ſi ſit ferrea,hæc enim eſt conditio neceſſaria, ut clauis optima ſit, & maxime omnium ad ſuum munus idonea. hoc itaq; diſcrimen in conditionibus potisſimæ demonſtrationis inſpici poſſe aiunt, illæ namque omnes conditiones, quarum Ariſtoteles meminit in ſecundo capite primi libri Poſteriorum, ſunt neceſſariæ, ut demonſtratio ſcientiam præſtantisſimam efficere ualeat, quòd enim propoſitiones ſint ueræ, & notiores concluſione, id in omni demonſtratione requiritur, quia ſine his inutilis eſt omnis demonſtratio, & nullam cognitionem parit; quòd autem propoſitiones ſint cauſæ rei, quæ demonſtratur, & immediatæ cauſæ,ideſt, quòd medius terminus ſit proxima cauſa maioris extremi, hæ ſunt conditiones neceſſariæ ut
D demonſtratio ſcientiam præſtantisſimam efficere posſit; & propterea ut demonſtratio ſit demonſtratio propter quid. Ex his colligunt non eſſe demonſtrationis propter quid conditionem neceſſariam, ut minor propoſitio ſit immediata, ſed ſolum maior,propoſitiones enim non alia ratione dicuntur cauſæ concluſio

nis,

nis, niſi quia medius terminus eſt cauſa maioris extremi, quod in concluſione A
prædicatur;nec alia ratione propoſitiones dicuntur immediatæ,niſi quia medius terminus eſt immediata,& proxima cauſa maioris extremi, ut patet per Ariſtotelem in decimo capite primi libri Poſteriorum, nam in demonſtratione non ſumitur medium propter minus extremum,ſed propter affectionem; ideo an medium ſit proximum etiam minori,ita ut nil aliud medium inter illa cadat,an nõ ſit, id ad demonſtrationis ſcopum,& naturam nihil pertinet; ſi uero contingat, ut medium utrique extremo proximum ſit,nempe quando ẽ forma ſubiecti ,tũc non ſolum maior propoſitio, ſed minor quoque eſt immediata, hæc tamen non eſt conditio neceſſaria,& conferens ad præſtantiorem ſcientiam efficiendam, ſed eſt tanquam inaurata clauis; demonſtrationem enim nobiliorem reddit, ſed præſtantiorem ſcientiam non parit,quàm ſit ſcientia propter quid eſt, quam omnis demonſtratio parit,dummodo maiorem ſaltem propoſitionem habeat immedia B
tam. his conſtitutis, ad Ariſtotelis auctoritatem reſpondent, philoſophum eo in loco principiorum,quæ prima ſunt, conditiones conſiderare,ideſt,conſiderare conditiones principiorum alicuius totius ſcientiæ; quæ eſt multarum demonſtrationum congeries, hinc factum eſt, ut aſſerat, principia demonſtrationis eſſe immediata,tam minorẽ,quàm maiorem propoſitionem reſpiciendo, quam totã ſcientiam reſpexit etiam philoſophus in eodem primo Poſteriorum libro,quando in ſpeciebus principii immediati numerauit definitionem ſubiecti, nec non in primo de Anima contextu undecimo, quando dixit, definitionem eſſe omnis demonſtrationis principium;dum autem ſingulis demonſtrationibus conditiones illæ aptantur, ideſt,quando loquitur de conditionibus demonſtrationis,quatenus demonſtratio eſt,non cenſet minorem ſemper debere eſſe immediatam,ſatis enim eſt ſi maior ſit penitus & ſemper actu immediata, minor autem non actu,ſed potentia immediata,pro ut,ſcilicet, pendet ex illa maiore actu immedia C
ta,quod aperte pronunciauit Ariſtoteles in principio primi libri Topicorum, quando dixit, (demonſtratio eſt ſyllogiſmus conſtans ex ueris, & primis, aut ex talibus, quæ per aliqua prima,& uera eius,quæ circa ipſa eſt,cognitionis principium ſumpſerunt.) quæ poſteriora uerba de ſola minore ſunt intelligenda,nõ de maiore. ſimiliter in primo poſteriorum capite decimo optime Ariſtoteles interpretatus eſt ſententiam ſuam in illo ſecundo capite eiuſdem libri,nam ſeparans demonſtrationem quòd à demonſtratione propter quid, eam demonſtrationem dicit eſſe ex immediatis,quæ ſolam maiorem habeat immediatam, & demonſtrationem dicit in ſingulari numero, immediata uero in plurali; in exemplis tamen demonſtrationum, quibus ibi utitur,manifeſtum eſt, ſolam maiorem eſſe immediatam. quo loquendi modo teſtatur uſum fuiſſe Auerroem quoque in primo Poſteriorum commento centeſimo ſexageſimo nono. Eam autem,quã dixerunt Ariſtotelis mentem fuiſſe, argumento ualidiſſimo comprobant, nam Ariſtoteles,poſtquam docuit omnes conditiones principiorum potiſſimæ demonſtrationis, docere etiam uoluit quot modis per defectum alicuius con- D
ditionis fiat ſecundi gradus demonſtratio, & duos tantum modos tetigit

unum, quando non à causa ad effectum, sed ab effectu ad causam progredimur; A alterum, quando à causa quidem, non tamen immediata, & proxima, sed remota, in qua demonstratione maior propositio est mediata; de illa uero demonstratione, in qua minor sola sit mediata, ne uerbum quidem facit; atqui si hæc non est potissima, ac primi gradus demonstratio, mancus fuisset Aristoteles, qui non omnes demonstrationum defectus tetigisset, censuit igitur tali defectu demonstrationem à primo gradu non extrahi, sed esse adhuc demõstrationem propter quid, omnis enim demonstratio propter quid est demonstratio primi gradus.

Confutantur ferè omnia, quæ in superiori capite dicta sunt.

CAP. V.

OMNES unanimiter concedunt, unamquamque potissimam demonstrationem esse demonstrationem propter quid, è contra uero non ita apud B omnes constat, ut eis uidetur esse manifestum, nam superius (quantum per nos licuit) ostendimus, demonstrationes de accretione luminis in Luna, de eius defectu, de tonitruo in nube, de foliorum casu, & his similibus, non esse potissimas, & tamen uocantur propter quid, ergo dantur demonstrationes propter quid, quæ ex doctrina philosophi non possunt esse potissimæ, non enim quælibet demonstratio propter quid perfectissimam rei scientiam tradit, sed solum illa, quæ facit ut sciatur per causam non causatam; nec admodum ex ea parte tutum uidetur esse quod dicunt, omnem, scilicet, demonstrationem propter quid esse potissimam, eo quia in definitionem conuertatur, propterea quod demonstratio de lunæ defectu per solam terræ interpositionẽ non est potissima, ut probatum fuit in quarto libro, & tamen in definitionem conuertitur. Ad illud uero, quod hæc appellatio, uidelicet, potissima demonstratio, & si reprehendenda non est, apud Aristotelem non reperiatur, dicimus, eam significari sub nomine simpliciter demonstra- C tionis, nam sicuti apud Aristotelem in libris Posteriorum datur scientia, & scire simpliciter, ita datur simpliciter demonstratio, q̃ est etiam ꝑꝑ quid, sed (ut diximus) non oĩs demonstratio ꝑꝑ quid est potissima. Quod aũt exẽplo de duabus ferreis clauibus, inaurata una, & altera non, ostendere nituntur, non esse, scilicet, conditionẽ necessariam demonstrationi ad efficiendã præstantiorem scientiam, ut minor eius propositio, sicuti maior, immediata esse debeat, sed ut in demõstratione huiusmodi cõditio se habeat non secus, ac in altera claue inauratio ad aperiendum, & claudendum, non possum non mirari eorum ingenii subtilitatem in exemplificando, & ꝓcipue in adducto exẽplo, quod prima fronte uidetur ꝓseferre aliquid probabilitatis, at si diligenter consideretur, eius ope propositum non assequuntur, diuersa enim est ratio inter clauis inaurationem, & minoris propositionis potissimæ demonstrationis immediationem, cum illa clauem, cui adue- D nit, aptiorem non reddat ad proprium munus exercendum claue non aurata; quamuis ei aliquid nobilitatis largiatur; hæc uero sit conditio necessaria,

& conferens ad præstantiorem scientiam efficiendam, proptereaquod ex Aristotele in primo Posteriorum contextu trigesimo nono secundum sectionē ueterem inter demonstrationes à priori illa præstantiorē scientiā efficit, quæ fit p causam non causatam, sed causa non causata est definitio subiecti, quæ cum in minori propositione potissimæ demonstrationis de subiecto prædicetur, est in causa, ut illa propositio non secus, ac maior, immediata sit ergo immediatio minoris necessario requiritur ad præstantiorem scientiam efficiendam; quam quidem conditionem contineri inter conditiones potissimæ, seu simpliciter demonstrationis positas ab Aristotele in primo Posteriorum hac ratione probatur; cōclusio simpliciter demonstrationis, quæcumque illa fuerit, uel per externas, uel per internas causas, debet habere secundum quod ipsum, alioquin non esset demōstratiua; ergo minor est immediata. antecedens est philosophi in primo Posteriorum contextu decimo nono, consequentia probatur, secundum quod ipsum B ex eorum sententia est, quando prædicatum competit subiecto per eius lem subiecti essentiam, & non ex alia ratione, ergo in conclusione prædicatum inerit subiecto per rationem subiecti, ergo per rationem subiecti demonstrabitur, cum passio debeat per eam causam demonstrari, per quam inest subiecto; si itaque ratio subiecti erit medium, quod in minori propositione potissimæ demonstrationis de subiecto prædicatur, non potest esse illa minor propositio nisi immediata, quia inter definitionem quiditatiuam, & definitum substantiale nihil cadit medii; ex quo clare patet, demonstrationes de accretione luminis in Luna, de eius defectu, de tonitruo in nube, & de foliorum casu in arboribus, cū minorem mediatam habeant, non facere maxime scire, idcirco non esse potissimas demonstrationes; continetur itaque minoris immediatio inter conditiones potissimæ demonstrationis ab Aristotele positas in primo Posteriorum libro. quod uero spectat ad eorum responsionem Aristotelis auctoritati in secundo ca C pite primi libri Posteriorum dicimus, argumentū super ea fundatū non esse solutū, quia demonstrationes illæ singulæ, quibus aiūt aptari posse conditiones eorum principiorum, quæ prima sunt, uel potissimæ sunt, uel non; si potissimæ non sunt; non faciunt contra nostram determinationem, quia concedimus etiam nos ex mente philosophi in demonstratione, quæ potissima non sit, posse dari minorem mediatam; si uero sunt potissimæ, de necessitate, propter adducta fundamenta minorem habere debent actu immediatam contra eorum opinionem. Duo autem illa philosophi loca in principio primi libri Topicorum, & in primo Posteriorum capite decimo pro eorum opinionis confirmatione, tantum abest, ut sententiam nostram infirment, ut potius eam maxime corroborent, quia philosophus in primo Topicorum non definit demonstrationem potissimam, sed demonstrationem communiter acceptam, cuius minorem mediatam esse nullum est inconueniens; in primo autem Posteriorum loco citato philosophus utique exemplificat de demonstrationibus propter quid, ut sunt illæ de accretione luminis in Luna, & de eius defectu sed huiusmodi D demonstrationes (ut probatum fuit) non sunt potissimæ, de quibus

solis uerum est, ut omnia earum principia esse debeant immediata. cui ueritati
A non repugnat Auerroes in iam citato commento centesimo sexagesimo nono primi Posteriorum, licet utatur eodem loquendi modo, quia non loquitur ibi de demonstratione potissima, sed cum Aristotele probat, demonstrationem uniuersalem meliorem, & perfectiorem esse particulari, eo quia progreditur per causam proximam, & immediatam rei demonstrandæ, quod non facit demonstratio particularis. demum pro dissolutione illius ualidissimi argumenti, quo utuntur ad comprobandum, eam, quam dixerunt, Aristotelis mentem fuisse, aduertendum est ex philosophi sententia in primo libro de Anima contextu octuagesimo quinto, quod Rectum est iudex sui ipsius, & obliqui, cognita enim rei ueritate, omnes eius obliquitates notæ redduntur. hoc posito, dicimus, ex conditionibus illius demonstrationis, quam principaliter philosophus intendit in primo Posteriorum libro, facile apparere posse, quot modis ab ea demonstrationes aliæ declinent, & deficiant; nam ex quo illa facit ut sciatur per causam, ab ea de-
B clinat demonstratio quæ facit ut sciatur per effectum, ex quo uero illa dat rei cognitionem per causam proximam, deficit ab ea demonstratio præbens rei notitiam per causam remotam, demum, ex quo illa faciens ut res cognoscatur per causam proximam, constat ex omnibus principiis immediatis, ab ea recedit demonstratio etiam per causam proximam scientiam pariens, quæ solum maiorem propositionem immediatam habet. attamen, quoniam fortasse aliquis credere potuisset, demonstrationem à causa remota, cum progrediatur à priori, collocandam esse inter demonstrationes propter quid, coactus fuit philosophus in illo decimo capite primi libri Posteriorum, nomen imponens demonstrationi à causa remota progredienti, docere quoque quot modis per defectum alicuius conditionis ea demonstratio, quæ ibi ab Aristotele quod, seu quia appellatur, declinet, ac deficiat à demonstratione propter quid communiter accepta, pro ut, scilicet, amplectitur demonstrationes propter quid potissimas, & non potissimas,
C quos quidem modos esse duos testatus est Aristoteles in loco citato. tertium uero modum, quo demonstratio à causa proxima minorem habens mediatam deficit ab altera, quæ etiam à causa proxima progreditur, & utramque præmissam immediatam habet, non erat necessarium recensere, quia nemo erat, qui dubitaret, demonstrationem illam esse propter quid, eiusque defectus satis elucescit ex ueritate conditionum demonstrationis propter quid principaliter intentæ, quæ potissima nuncupatur; quare sat fuit ibi philosopho hunc tertium modum, quo una demonstratio propter quid ab altera declinat, exemplis solum demonstrationum propter quid minorem mediatam habentium latenter innuere. cum itaque tres sint gradus demõstrationum, primus demonstrationis propter quid habentis omnia principia immediata, quæ potissima dicitur, secundus demonstrationis propter quid maiorem tantum immediatam habentis, quæ propter
D quid tantum ab Auerroe nuncupatur ad differentiam ipsius demonstrationis propter quid potissimæ, tertius uero demonstrationis quod, seu quia tam à causa remota, quàm ab effectu immediato progredientis; non est credendum o-

mnem demõstrationem propter quid esse primi gradus demõstrationem, praeci A
pue cum earum una praestantiorem efficiat scientiam, quàm altera.

Problematis resolutio explicatur.

CAP. VI.

REiecta huius disputationis parte negatiua, affirmatiuam amplectimur, quam ueriorem, magisq; esse ex mente philosophi probabimus, allata prius in medium suppositione, quae huiusmodi est, ea, scilicet, quae per demonstrationem ostenduntur, non solum esse proprietates, & aptitudines specierum, sed etiam earũ actus, ut testatum reliquit philosophus in primo Posteriorum textu uigesimo se B cundo, ubi habet, eorum, quae saepe fiunt, demonstrationes, & scientias esse, ut Lunae defectus, aliud enim est demonstrare Lunam eclipsabilem esse, & Lunam eclipsari, sicuti aliud est probare hominem risibilem esse, & hominem ridere; primo modo Lunae, & hominis aptitudo demonstratur, secundo autem demonstratur utriusque actus, qui duplex est, nam alius proficiscitur ab aliquo accidentali principio inexistente rei, de qua demonstratur, ut uidere est, quando demonstratur Lunam paulatim lumine augeri eo quia sphaericae sit figurae, nam sphaericum esse accidens est Lunae inexistens; alius uero partim ab obiecto extrinseco, partim à principio interno rei proficiscitur, ut patet quando demonstratur Lunã eclipsari, nam eclipsis inest Lunae non solum per terrae interpositionem, quae est obiectum extra, cum terrae interpositio non sit in Luna, sed etiam per ea, quae eidẽ Lunae interna sunt, nimirum, quia est corpus ita natum moueri, ut diametraliter opponatur soli, praeterea, quia recipit lumen à sole; da enim Lunam diametraliter soli non opponi, minime poterit terra interponi inter solem, & Lunam, sicuti non interponitur inter mercurium, & solem, neque inter solem, & uenerem, C concesso nunc terrae umbram ad eos planetas peruenire; da praeterea Lunam à sole lumen non recipere, quid afferet Lunae impedimenti terrae interpositio, licet Luna soli diametraliter opponatur? posita huius suppositionis ueritate, dicimus, quando specierum aptitudines à priori demonstrantur, semper medium, quod est causa maioris extremi, quiditatiuam esse subiecti definitionem in potissima demonstraione. fundamenta, quibus innititur haec nostra opinio, ea sunt, de quibus mentionem fecimus in superiori capite, nempe, conclusionem potissimae demonstrationis, quaecumque illa fuerit, uel per causas internas, uel per externas, habere secundum quod ipsum, quare eius medium non potest esse nisi quiditatiua subiecti definitio, quoniam secundum quod ipsum, ut illi, & optime, dicunt, est, quando praedicatum competit subiecto per essentiam subiecti, & non ex alia ratione, igitur in conclusione praedicatum inerit subiecto per rationem subiecti, ergo per rationem subiecti demonstrabitur, cum debeat passio per eam causam D demonstrari, per quam inest subiecto. praeterea, ex Aristotele in primo Posterio-

rum trigesimo nono contextu inter demonstrationes a priori illa præstantiore
A scientiam efficit, quæ fit per causam non causatam, sed causa non causata est quiditatiua subiecti definitio, ergo in potissima demonstratione semper quiditatiua subiecti definitio est ratio illa passionis demonstrandæ, quam medium esse dicit philosophus in secundo Posteriorum octauo, & uigesimo quinto contextibus. hinc optime dixit Auerroes, illud, quod dat esse speciei, dare consequentia ad esse, quæ sunt illius speciei proprietates, ut ipse quoque innueret, medium in potissima demonstratione semper esse formam subiecti, ut tamen dicit rationem,& propter quid affectionis, nam si per Aristotelem scire simpliciter est rem per causam cognoscere, propter quam res est, & res demonstranda sit alicuius speciei propria passio, quæ per Auerroem a forma eiusdem speciei habet ut sit, res demonstranda, quæ sit alicuius speciei affectio, non potest sciri nisi per formam subiecti, illa igitur ratio primi extremi ex mente quoque Commentatoris erit semper in potissima demonstratione quiditatiua subiecti definitio. in demonstrationi-
B bus uero, quibus ostenditur actus, uel qui proficiscitur ab aliquo accidente subiecto inexistenti, ut luminis in Luna paulatim accretio per sphæricum esse,uel qui proficiscitur partim ab obiecto extrinseco, partim a principio interno speciei, ut Lunæ defectus per solum extrinsecum obiectum, idest, per solam terræ interpositionem, mirum esse non debet si ratio maioris extremi non fuerit quiditatiua subiecti definitio,cum demonstrationes illæ per ea,quæ diximus paulo supra, & in quarto libro,potissimæ non sint. Cæterum ut firmior sit opinio hæc, quam sequimur, aduersus eam nonnullas rationes afferre decreuimus, quarum prima illa sit, si medium in potissima demonstratione esset quiditatiua subiecti definitio,in ea fieret petitio principii, consequens est falsum, ergo & illud, ex quo sequitur,falsitas consequentis notissima est, consequentia deducitur, in illa demonstratione supponeretur illud,quod deberet probari, ergo fieret petitio principii, consequentia clara est, antecedens probatur, nam concludendo, exempli gratia,
C risibilitatem inesse homini, quia inest animali rationali, supponitur in maiore inesse homini risibilitatem, cum homo,& animal rationale sint idem. Secunda ratio,si medium in potissima demonstratione esset quiditatiua subiecti definitio, sequeretur, potissimā demonstrationem non esse ex principiis propriis, consequēs est falsum, ergo & antecedens, falsitas consequentis patet per ea, quæ dixit philosophus in primo Posteriorum contextu uigesimo tertio contra Brisonem, & contextu uigesimo quarto in principio, consequentia deducitur, nam si animal rationale, exempli gratia, est medium ad concludendum risibile de homine,erit etiam medium ad concludendum de eodem homine disciplinabile, & reliquas omnes eius proprietates, quoniam non est maior ratio ut una potius, quàm aliæ hominis proprietates de eo demonstrentur per animal rationale, quod est quiditatiua hominis definitio,quiditatiua igitur subiecti definitio non erit principium
D uni tantum accommodatum, sed potius omnibus eius proprietatibus commune, & propterea demonstratio potissima per huiusmodi medium non esset ex propriis principiis. Tertia, & ultima ratio, si medium in potissima demonstra-

tione esset quiditatiua subiecti definitio, maior propositio illius demonstrationis A contra sententiam philosophi in primo Posteriorum esset demonstrabilis, probatur consequentia, quoniam inter subiecti definitionem, & passionem demonstrandam interiecta est eiusdem passionis definitio, per quam poterit passio illa demõstrari de subiecti definitione. His rationibus satisfacientes, ad primam negamus consequentiam, fieri, scilicet, in potissima demonstratione petitionem principii, si medium in ea sit quiditatiua subiecti definitio; ad probationem, negatur antecedens, nimirum, supponi in illa demonstratione id, quod deberet probari; ad eius declarationem, negamus, in maiori propositione illius demonstrationis, qua concludimus risibilitatem inesse homini propter animal rationale, supponi homini risibilitatem inesse, quia falsum est, ut ibi animal rationale, & homo idem sint, non enim pro eodem accipiuntur animal rationale, & homo in illa demonstratione, nam animal rationale sumitur solum pro forma, homo uero pro com B posito ex materia, & forma, ut satis, superque disputauimus in quarto libro capite octauo, ad quem locum Lectorem remittimus. nec obstat Commentatoris auctoritas asserentis, rei definitionem non esse aliam naturam ultra rem illam, quo niam uerba eius uera sunt de primo definito, quæ forma est, sed quando definitum accipitur pro composito ex materia, & forma, & definitio pro forma tantum, ut clare patet in prædicta demonstratione de hominis risibilitate propter animal rationale, tunc Auerrois sententia non habet locum, nam homo animali rationali addit carnes, & ossa, in homine enim considerantur partes materiales, nimirum, carnes (ut diximus) & ossa, nec non partes formales, uidelicet, animal rationale, in eius uero definitione, quando definitur dialectice, considerantur solum partes formales, communis altera, nempe genus, ut animal, altera propria nimirum, differentia, ut rationale, licet utraque denotet materiam, animal enim, & rationale significant formas substantiales, & denotant materiam, in qua sunt, C quare homo aliquid plus habet, quàm animal rationale; ex quo clare patet, idẽ non esse animal rationale, & hominem in illa demonstratione, qua concluditur hominem risibilem esse propter animal rationale. Ad secundam rationem negatur consequentia, uidelicet, potissimam demonstrationem non esse ex propriis principiis, si medium in ea sit quiditatiua subiecti definitio; ad probationem, dicimus, si animal rationale hoc nomine intelligatur causa communis, pro ut, scilicet, non sit causa essentialis cuiuslibet propriæ hominis affectionis, id negandum est; si uero intelligatur causa communis, quatenus plures efficit proprietates, concedimus hoc, sed huiusmodi communitas non tollit, quin animal rationale sit uniuscuiusque proprietatis humanæ speciei propria causa. Ad tertiam, & ultimam rationem negatur consequentia, ad probationem, dicimus, eius demonstrationis maiorem propositionem, in qua prædicatur affectio alicuius speciei de quiditatiua eiusdem speciei definitione, posse utique per essentialem affectionis definitionem in syllogismum cadere, demonstrari uero nequaquã, propterea quod (ut diximus in primo capite huius libri) essentialis affectionum definitio sine cau D sa semper ex sententia philosophi in utroque Posteriorum libro est conclusio,

nunquam potissimæ demonstrationis principium, alioquin medium in huiusmo-
A di demonstrationibus non esset extra quiditatem rei demonstrandæ, in minoriq;
propositione definitio de definitione prædicaretur, quæ omnia repugnãt Auer-
roi in secundo Posteriorum commento trigesimo octauo.

Ex aliorum sententia de ordine ab Aristotele seruato in declarando medium demonstrationis esse causam, & de connexione capitis undecimi secundi Posteriorum cum præcedentibus.

CAP. VII.

PER ea, quæ ex mente philosophi dicta sunt à nobis in primo capite huius li-
B bri, luce clarius patet, medium in potissima demonstratione à nullo alio cau
sarum genere sumi posse, nisi à genere causæ efficientis non ueræ, & finalis rei de
monstrandæ, cum à causa efficiente non uera fluat, & ad finalem dirigatur, ut
gratia exempli, animal rationale, quod pro medio sumitur ad demonstrandum
potissima demonstratione risibilitatem inesse homini, causa efficiens non uera, &
finalis est illius passionis, nam ab animali rationali risibilitas per emanationem
producitur, & ad illud redigitur tamquam perfectibile ad suum perfectiuum.
sed huic determinationi uidetur penitus aduersari Aristotelis auctoritas in secun
do Posteriorum capite undecimo, ubi ait, per omnia causarum genera fieri pos
se demonstrationes. uidentes nonnulli hanc difficultatem enodari non posse, ni-
si recte percipiatur philosophi sententia in illo undecimo capite secundi Posterio
rum, eam à nemine hactenus bene intellectam, declarare nituntur; ut autem id
commodius præstare possint, agunt primum de ordine ab Aristotele seruato in
C declarando medium demonstrationis esse causam, mox de eius capitis connexio
ne cum præcedentibus. Quæ ad ordinem spectant posita sunt in tertio capite ter
tii libri, ad quem locum Lectorem dimittimus, ne fiat eiusdem rei molesta repe-
titio. quo ad eius capitis cum præcedentibus connexionem, supponunt prius,
Aristoteli necessarium fuisse in posterioribus analyticis ad disciplinæ illorum li
brorum perfectionem, & uniuersalem, & particularem causarum tractationem fa
cere, præterea, conuenientem doctrinæ ordinem postulare, ut ab uniuersalibus ad
particularia fiat progressus; his positis, relictaq; aliquorum connexione asseren-
tium, Aristotelem, postquam de causa sola formali usque ad quadragesimam se
ptimam particulam secundi libri locutus est, incipere in quadragesima octaua
agere de aliis tribus causis, & ostendere quomodo illæ quoque demonstratio-
nem ingrediantur, relicta (inquam) eorum connexione, quoniam uerba Aristo
D telis in principio illius quadragesimæ octauæ particulæ non recipiunt hanc inter
pretationem, dicunt, Aristotelem post uniuersalem tractationem de causa satis-
faciente quæstioni propter quid, de qua prius in toto primo libro, & in secun-

do

do usque ad quadragesimam septimam particulam uerba fecit, statim in sequenti particula eiusdem secundi libri transire ad tractationem particularem de eadē causa, diuidendo commune illud causæ nomen in sua significata. A

Reiiciuntur quæ in superiori capite dicta sunt.

CAP. VIII.

QVod spectat ad ordinem, existimamus omnino falsum esse, philosophum in toto primo Posteriorum libro, nec non in secundo usque ad quadragesimam septimam particulam, nullam unquam mentionem facere uoluisse alicuius causæ determinatæ, sed semper accepisse nomen causæ generaliter; quod in præsenti capite probandum esset, uerum quia satis superq; dictum fuit à nobis de huiuscemodi ordine in quarto capite tertii libri, caput illud perpendere lectores non grauentur. ad connexionem uero capitis de causis in secundo Posteriorum cum præcedentibus, dicimus, secundum eorum suppositum in se uerum esse, sed nihil conferre ad intentionem philosophi in analyticis posterioribus, ut uidere est in eodem quarto capite, quia falsum est primum suppositum, & consequenter falsa est connexio, quam faciunt, cum ex accidente in undecimo illo capite, aliisq; pluribus in locis secundi libri Posteriorum de causis Aristoteles loquatur, ut clare patet per ea, quæ diximus in decimo quarto capite secundi libri. B

Ex aliorum sententia quot sint ad summum genera causarum, quæ in demonstratione potissima medium esse possunt. C

CAP. IX.

POsita tractationis causarum continuatione cum præcedentibus, determinant, ex tribus causarum generibus demonstrationem potissimam construi posse, aut ex interna causa, quæ dicitur efficiens per emanationem, aut ex causa efficiente externa, aut ex efficiente finali. cuius dicti ratio est; quoniam accidentiū sub demonstrationem cadentium alia ab interna, alia ab externa causa producūtur, sed internam, & externam intelligunt loco, & subiecto, ut accidentia, quæ in ipso subiecto, cui inhærent, proximam suam causam insitam habent, internam causam habere dicuntur, sicuti patet de risibilitate, quæ emanat à forma hominis; quæ uero pendent à causa extra suum subiectum posita, ea dicuntur habere causam externam, ut uidere est de Eclipsi, quæ fit à terræ interpositione. cum itaque accidens omne subiecto inhæreat, necesse est, ipsius causam uel in eodem subiecto inesse, uel extra illud esse positam; D

sed causæ externæ duæ sunt, efficiens, & finis, sequitur igitur ut tria sint ad sum-
A mum genera causarum, quæ media demonstrationum esse possunt, efficiens, finis, & causa interna, hæc autem duplex est, nam accidentium ab interna causa pendentium alia per definitionem subiecti, alia per alia accidentia eiusdem subiecti demonstrantur, tamen idem est causæ modus, quo accidens ab alio accidente, & quo à forma, seu natura subiecti producitur, utraque enim potest uocari causa effectrix per emanationē, efficiens nāque duplex est, aliud cum uera actione efficit, & est proprie dictum efficiens, semperq́ externum est, quoniam idem in se ipsum agere non potest; aliud uero, quod minus proprie dicitur efficiens, per emanationem potius efficit, quàm per ueram actionem, cum semper absque ulla patientis resistentia efficiat; ita forma est causa effectrix accidentium omnium sui subiecti, emanant enim omnia ab ea; ita etiam accidens causa est effectrix alterius accidentis in eodem subiecto. hac posita ueritate, manifestum est, per causam formalem accidentis proprie sumptam, & ab his tribus modo nominatis di-
B stinctam, demonstrationem fieri non posse, sed per causam formalem pro definitione acceptam, ut apparebit in explicatione undecimi capitis secundi Posteriorum libri.

Omnia superioris capitis impugnantur.

CAP. X.

Firmissima duo illa philosophi fundamenta superius commemorata manifestissime indicant, efficiens extrinsecum tantum, ut est sola terræ interpositio ad demonstrandam Eclipsim de Luna, & internum, quod subiecti accidens sit ad aliud accidens de eodem subiecto demonstrandum, ut sphæricum esse ad osten-
C dendam luminis accretionem de luna, medium esse in demonstratione propter quid tantum, in potissima uero minime, in ea enim id solum efficiens passionis demonstrandæ locum habet, quod est quiditatiua subiecti definitio, nam hæc pro medio sumitur uel sola, quando, scilicet, speciei aptitudines demonstrantur, quæ ab eius forma tantum producuntur, ut risibile esse de homine, uel cum aliquo alio concurrens, nempe, cum obiecto extra, quando actus demonstratur, ut eclipsari de Luna. quare non uidetur admodum tuta eorum sententia, quando dicūt, aliqua accidentia sub demonstrationem cadentia (intelligendo de potissima demonstratione) à sola causa externa produci, & per illam solam demonstrari; sicuti mihi suspecta est quoque alia eorum sententia, quando innuunt, eundem esse causæ modum, quo accidens ab alio accidente, & quo à forma, seu natura subiecti producitur; nam si omnia accidentia propria,
D quæ sub potissimam demonstrationem cadunt, emanant à forma subiecti, quomodo potest unum ab altero emanare, ita ut una proprietas alteram producat? datur utique ordo inter plures alicuius speciei proprietates,

ut, scilicet, una prius altera emanet à forma, non tamen ut una ab altera A producatur, cum omnes (quod ipsi quoque concedunt) à forma subiecti habeant ut sint. qua posita ueritate, luce clarius patet, demonstratione propter quid potissima specierum affectiones non posse demonstrari nisi per solā subiecti causam formalem, ut tamen dicit earum affectionum rationē, & propter quid, actus autem ipsos simul per obiectum extrinsecum, & per internam subiecti rationem, cum ab eis producantur. quod uero dicunt de causa formali pro definitione sumpta considerabimus paulo infra.

Ex mente nonnullorum declaratur Aristotelis sententia in undecimo capite secundi Posteriorum libri.

B

CAP. XI.

Licet philosophus in capite de causis, quod est secundi Posteriorum libri caput undecimum, diuidendo nomen causæ communiter acceptum in quatuor causarum genera, dicat, ea omnia pro medio in demonstratione potissima sumi posse, ab eius mente non recedit eorum sententia, non .n. Aristotelis consilium est ostendere, ut omnes causæ proprie acceptæ possint esse medium demonstrationis, constat enim neque formam, neque materiam proprie sumptas unquā medium esse demonstrationis; sed solum ostendere uult in quonam sensu siue proprio, siue improprio contingat, ut hoc dogma tueri possimus, omnia, scilicet, quatuor causarum genera in demonstrationibus medium esse posse; ideo docet, tum finalem causam, tum efficientem proprie acceptas demonstrationis medium esse, non quod omne efficiens possit esse medium, sed quod possit aliquando mediū C esse efficiens proprie dictum: formam uero, & materiam docet non posse nisi improprie sumptas medium esse demonstrationis, & primum quo ad formam, ut, scilicet, eatenus illa dicatur esse medium, quatenus sumitur pro omni causa adæquata, quæcumque illa sit, uel materia, uel efficiens, uel finis; quælibet enim ex dictis causis, dum in rei definitione sumitur, forma appellari potest, hinc est, quod Aristoteles, post causæ diuisionem in quatuor illa genera, singulum causæ genus exemplis declarans, nil amplius de forma separatim dicit, sed trium tantum causarum exempla adducit, materiæ, efficientis, & finis, quia censuit per singulam harum demonstrare esse demonstrare per formam. Quod ad materiam pertinet, dicunt, & si materia affectionis demonstrandæ, quæ nulla alia est nisi eius subiectū, in quo est, nunquā sumitur ut mediū in demonstratione, tamen dicitur affectio illa ex necessitate materiæ producta, quādo in eo subiecto, i quo inest, ipsius quoque causa, à qua ꝑ emanationē fluit, insita est, quæ quidē uel ē ipsa forma, seu natura subiecti, ut rationalitas in homine respectu risibilitatis, uel est aliquod ac


uult, totum accidentis subiectum esse medium, hoc enim est minus extremum in demonstratione; sed uult, medium esse aliquid illi subiecto insitum, & ab eo in-
A separabile, à quo per necessariam emanationem accidens demonstrandum deriuatur. Aristotelē autem in illo capite de causis nullam aliam materiam intelligere, nisi eam, quæ dicta fuit, magna confirmatio ex ipsius uerbis sumitur in contextu duodecimo, postquam enim declarauerat in undecimo quomodo per singulum causæ genus fiat demonstratio propter quid, docet in duodecimo contextu contingere interdum, ut idem effectus simul ex duabus causis pendeat, nempe, ex fine, & ex necessitate materiæ, quod exemplo lucernæ declarat, si quis enim quærat propter quid per lucernam lumen eggrediatur, potest responderi causa materialis, potest etiam responderi causa finalis; materialis quidem, si dicamus, uitrum habere paruos, & insensibiles poros, partes autem luminis tenuissimas esse, & illis poris minores, proptera ex necessitate id, quod subtilius est, trāsire per foramina ampliora; finalis uero, si dicamus, ne homo offendat, & cadat; consideremus igitur causam illam materialem, causa quæritur non luminis, sed
B transitus, seu transmissionis luminis per uitrum lucernæ, uitrum igitur in ea demonstratione, seu quæcunque alia sit materia transparens, ex qua constet lucerna, subiectum est, maius extremum est transmissio luminis, medium porositas illius materiæ, & talem demonstrationem uult Aristoteles esse per causam materialem, tamen porositas non est materia respectu maioris extremi, uidelicet, trāsmissionis luminis, neque respectu uitri, cum potius sit accidens ipsius; ergo dicere cogimur eam esse per causam materialem, quoniam accidens illud, quod demonstratur, producitur ex necessitate à propriis illius materiæ conditionibus per simplicem emanationem, quare causa transmissionis, siue sit porositas, siue transparentia, est effectrix per emanationem, eamque Aristoteles uocat materiæ necessitatem, quia ex illius subiectæ materiæ natura deriuatur, & ipsi insita, atque interna est, ipsa tamen causa secundum se accidens est, non materia. ex iis quoque, quæ dicuntur ab Aristotele in eodem contextu, potest eadem sententia mi
C rificè comprobari; inquit ibi Aristoteles, effectus naturales alios esse propter finem, alios esse ex necessitate, sed duplicem esse necessitatem, alteram quidem secundum naturam, & cum interna subiecti propensione, alteram uero præter naturam, & uiolentam, & utramque exemplo motus lapidis declarat, dicens, lapidē ex necessitate tum sursum, tum deorsum ferri, non tamen secundum eandem necessitatem, deorsum enim fertur naturali necessitate, quæ est materiæ necessitas, naturalis .n. conditio lapidis est grauitas, à qua deorsū fertur ex necessitate, quam uocat Aristoteles materiæ necessitatē; idē lapis proiectus ascendit ex necessitate, cū resistere nequeat uiolentiæ proiicientis, hæc tamē nō est materiæ necessitas, sed imposita est à motore externo, cōtra illius materiæ naturā; sumpta igitur necessitate naturali, si demonstremus cur lapis deorsum feratur, erit lapis minus extremum, deorsum ferri erit maius extremum, & grauitas medius termi-
D nus; quam demonstrationem dicit Aristoteles esse ex causa materiali, seu ex materiæ necessitate, nec tamen lapidem statuere possumus medium terminum, sed

grauitatem, quæ uel forma lapidis est, uel accidens à forma fluens, & est illius A motus causa effectrix per emanationem, non causa materialis proprie dicta; sed ea demonstratio eatenus dicitur facta per causam materialem, quatenus mediũ est causa interna, & illi subiecto insita, cum subiectum materia accidentis esse dicatur; effectus uero ab externo agente producti possunt quidem dici ex necessitate producti, non tamen ex necessitate subiectæ materiæ, sed potius ex agentis externi necessitate. Demum exemplo mathematico, quo in capite illo undecimo utitur philosophus, ad hanc ueritatem facile dirigimur; de causa enim materiali exemplificans, ait, (Propter quid est rectus in semicirculo? aut quo existẽte, rectus? sit utique rectus in quo, A, dimidium duorum rectorum in quo, B, qui est in semicirculo, in quo, C, ut igitur, A, rectus insit ipsi, C, ei, qui est in semicirculo, causa est ipsum, B, hoc enim ipsi, A, æquale est, hoc autem, C, ipsi, B, duorum namque rectorum dimidium: cum igitur, B, sit dimidium duorum recto- B rum, A, ipsi, C, inest, hoc autem erat, in semicirculo rectum esse, hoc uero idem est ipsi quid erat esse, eo quod hoc significat oratio.) hæc geometrica Aristotelis demonstratio ex causa materiali proprie dicta esse non potest, tum quia Mathematici in suis demonstrationibus hac causa non utuntur, sed sola formali, tum etiam quia mathematicam materiam sumendo, quam intellectualem materiam uocant, non apparet quomodo medium illius demonstrationis sit causa materialis, siue cum maiore extremo, siue cum minore ipsum conferamus, dimidium enim duorum rectorum non est materia anguli in semicirculo existentis, sed est ipsemet angulus in semicirculo existens; non est etiam materia anguli recti, quia & si dimidium significat partem, & pars locum obtinet materiæ, tamen non est materia nisi eius, cuius est pars, & cuius est dimidium, esset igitur materia duorum rectorum; sed non unius recti, quemadmodum unius recti materia esset dimidium unius recti; at dimidium duorum rectorum respectu unius recti mate- C ria nullo pacto est, sed est ipsemet unus rectus; quomodo igitur medium illud est materia? certe non potest aliud dici, nisi quia anguli in semicirculo natura est, à qua ex necessitate emanat, ut angulus ille sit rectus, quemadmodum à natura hominis emanat risibilitas absque pendentia ab ulla externa causa; subiectum enim respectu accidentis dicitur materia, & quodcumque naturam subiecti necessario consequitur, id ex subiectæ materiæ necessitate emanare dicitur, quod non solum in rebus naturalibus, sed etiam in mathematicis locum habet, hæ namque & si materiam proprie sumptam non considerant, habent tamen aliquo modo materiam per similitudinem, quemadmodum enim ignis summo calori subie-

formalem uero, & materialem improprie nonnulli (ut diximus) asseuerant, quo
A modo autem improprie formalis, & materialis causa pro medio accipiatur, sub
tilissime (ut semper solent) declarant, & primo de formali, hac ratione id eueni-
re, ut improprie sumatur pro medio, quia quælibet ex tribus aliis causis, dum
in rei definitione ponitur, forma appellari potest; sed huiusmodi ratio (quod eo-
rum pace dictum sit) non uidetur esse ad propositum, quoniam formæ, ut fiat me
dium, nihil confert, quod quælibet ex tribus aliis causis, dum in rei definitione
sumitur, forma appellari possit, nisi addatur, ut per singulam harum fiat demõ
stratio, nam si quælibet ex eis pro medio accipiatur, & ex rei definitione sumpta
sortiatur nomen formæ, omnes enim definitionis partes formæ sunt, commu-
nis una (ut alias diximus) & altera propria, utique hac ratione improprie forma
medium esse posset; sed licet de causa efficiente, & finali, quæ re uera medium es-
se possunt, id uerum sit, de materiali omnino falsum est, etenim affectionis demõ
strandæ subiectum, quod eius materia est, minoris extremitatis, non medii ter-
B mini locum sibi uendicat in demonstratione, quare causa illa, quam ponunt de
formæ silentio in capite de causis, non uidetur esse ex mente philosophi, nisi di-
cant (ut uere dicunt) improprie materiam esse medium, quatenus, scilicet, cau
sam, quam insitam habet, nempe, formam substantialem, uel aliquod aliud acci-
dens ab ea inseparabile, nobis ad demonstrandum præbet, sed hoc secum affert
contra eos maiorem difficultatem, quia si affectionis subiectum hac ratione im-
proprie dicitur medium, sequetur, eius formam, sicut & accidens ab eo insepa-
rabile, esse medium proprie, quod tamen ipsi negant, non enim rationi conso-
num uidetur esse, ut subiectum, & ea, quæ in subiecto sunt, improprie sint medium,
sed utique, si unum improprie, ut alterum proprie sit, & è contra; nam si demõ
strare per singulam trium illarum causarum, materiæ, scilicet, efficientis, & finis,
est (ut dicunt) per formam demonstrare, quando medium erit efficiens, uel finis,
erit etiam forma, diuerso tamen modo, nam efficiens, & finis proprie, forma ue
C ro improprie; à pari de causa materiali, & formali, si enim materia fuerit mediũ
improprie, forma eius, & accidens ab ea inseparabile erunt medium proprie;
eorum itaque expositio, quomodo, scilicet, materia improprie sit medium, non
uidetur cum ueritate conuenire; sed concessa hac expositionis ueritate, non ui-
deo quomodo alteri sententiæ suæ respondere possint, existimant enim ipsi, illas
quatuor causas, passionis, non subiecti, formam, materiam, efficiens, & finem es-
se, ergo materia, quando nobis causam præbet ad demonstrandum, non potest
dare nec proprie, nec improprie passionis formam, cum ipsa neque proprie, ne
que improprie demonstrationis principium, atq; ideo medium esse possit, ut a-
bunde satis dictum fuit in primo capite huius libri, ergo dicendum erit, uel non
esse omnes illas causas intelligendas in ordine ad passionem, uel eorum exposi-
tionem de causa materiali, quomodo, scilicet, improprie sit medium in demon-
D stratione, penitus esse uoluntariam. pro responsione uero ad Aristotelis auctori
tates, & exemplum, nonnulla prius notanda esse duximus, & primo, quando phi
losophus ait, omnes quatuor causas, formalem, scilicet, materialem, efficiente, &

finalem, ſumi poſſe pro medio in demonſtratione propter quid, eum non acci A
pere omnes illas, ut tales ſunt, in ordine ad paſsionem demonſtrandam, eſſe, uidelicet, medium in demonſtratione propter quid, uel formam, uel materiam paſsionis demonſtrandæ, quoniam id fieri minime poteſt, cum forma, & materia ſint partes eſſentialis eius definitionis, quæ ſemper eſt demonſtrationis concluſio; fieri autem, & rectè, poteſt, immo neceſſarium eſt, ut medium ſit ſemper uel cauſa efficiens, uel cauſa finalis demonſtrandæ paſsionis, quæ quidem cauſæ paſ ſionum effectrices, & finales poſſunt eſſe uel forma, uel materia ſubiecti, ſi id, q̃d demõſtratur de ſubiecto, fuerit uel paſsio fluens à forma, uel paſsio fluẽs à materia; aut poſsũt ẽẽ forma, & materia alicuius alterius à ſubiecto, & à paſsione demõſtrãda, dũmodo ſubiectũ, & paſsio uel in materia, uel ĩ forma illa cõueniãt. Secũdo notandum ſit, uitrum, & lapidem, ſicut alia omnia mixta, conſtare ex materia, & forma, quarum utraque ſuis proprijs accidentibus circumſcribi, eorumq́ loco B
ſubintelligi poteſt, ut patet in illis exemplis de uitro, & lapide, nam poroſitas, & grauitas ſunt accidentia, quæ non à forma ſubſtantiali uitri, & lapidis fluunt, ſed ab eorum materia, ſi enim à forma fluerent, plura mixta inter ſe ſpecie differentia in una, & eadem forma ſubſtantiali conuenirent, cum poroſitas, & grauitas in multis alijs mixtis à uitro, & lapide diuerſis reperiantur, nempe, in cornu poroſitas, & grauitas in ferro; ſed conſequens eſt falſum, ergo, & illud, ex quo ſequitur. probatur falſitas conſequentis, ſi in una, & eadem forma ſubſtantiali plura mixta concurrerent, nimirum, uitrum, & cornu in ea, à qua emanat poroſitas, lapis autem, & ferrum in illa, à qua fluit grauitas, ſequeretur, uitrum, & cornu ex una parte, ex altera uero lapidem, & ferrum non differre ſpecie, quod tamen falſum eſt, à materia igitur, in qua plura mixta conuenire poſſunt, accidentia illa emanant; quare poroſitas in uitro, & in lapide grauitas circumſcribunt & uitri, & lapidis materiam. his ita conſtitutis, ad Ariſtotelis auctoritates reſponde C
mus, & primo ad primam de luminis tranſmiſsione per lucernam, cum ueritate conuenire, poroſitatem, quæ in illa demonſtratione pro medio ſumitur, non eſſe cauſam materialem ratione maioris extremi, uidelicet, luminis tranſmiſsionis, id enim (ut patet in primo notando) fieri non poteſt, ſed ratione uitri, quod ſubiectum eſt, ut uidere eſt in ſecundo notando, cuius, & primi auxilio reſpondemus etiam ad aliam auctoritatem de motu deorſum lapidis per eius grauitatem, demonſtrationem, ſcilicet, quam ibi latenter ponit philoſophus, eſſe per cauſam materialem non ratione motus deorſum, ſed ratione lapidis. Quo ad exemplum ab euclide acceptum in tertio elementorum propoſitione trigeſima prima, dicimus,

super alteram in rectum protractam, a qua fit angulus extrinsecus, sed quando
A recta linea super rectam steterit, duoque anguli utrobique fuerint aequales, eorum uterque rectus est, hac igitur de causa angulus in semicirculo est rectus, ut haec subscripta indicat figura.



SIT. b.c.c. semicirculus, & in eo triangulus. a.b.c. cuius angulus.b.a.c. dicitur angulus in semicirculo, linea uero.b.a. in rectum protracta usque ad.d. efficit angulum.d.a.c. extra triangulum, qui aequalis est angulo.b.a.c. cum ambo
B sint producti a linea.c.a. perpendiculariter cadente super lineam.b.d. ergo per definitionem anguli recti eorum uterque rectus erit; angulus itaque in semicirculo rectus est, quod erat propositum. Aristoteles autem ad eandem conclusionem probandam pro medio sumpsit dimidium duorum rectorum, quod sub aliis uerbis idem est cũ medio Euclidis, angulum enim illum in semicirculo esse alteri angulo extra triangulum aequalem, & e conuerso, est esse dimidium duorum rectorum, cum ambo simul sumpti duobus rectis aequales sint, quod ex ingenio fecit philosophus, per dimidium enim denotare uoluit causam materialem, cum pars habeat rationem materiae, licet re uera medium illud neque ratione maioris extremi, neque ratione minoris materiam significet; ea igitur ratione apud philosophum medium illud est materia, quia dicitur dimidium, non quia naturam anguli in semicirculo existentis sequatur ex necessitate ut sit rectus, tunc enim formae, non materiae uicem gereret. hac posita ratiocinatione, respondemus ad propositum exemplum, mathematicum non abstrahere a materia intelligibili, quae quidem in adducto exemplo est medietas duorum rectorum considerata tamen ut propter quid passionis, quae ibi demonstratur, licet abstrahat a materia sensibili; & quamuis medietas duorum rectorum non sit materia neque passionis, neque subiecti, dicitur tamen ea demonstratio esse facta per causam materialem, quia medietas duorum rectorum alicuius alterius materia est, nempe, duorum rectorum, nullumque inconueniens est, cum subiectum, & passio in ea conueniant; nec debet in exemplis undequaque ueritas desiderari, sat enim est, ut pars gerat uicem materiae, cuiuscumque sit pars, dummodo (ut diximus) in ea subiectum, & passio demonstranda conueniant.

Opinio propria circa philosophi sententiam in eo capite de causis.

D *CAP. XIII.*

REiecta aliorum expositione ad caput illud de causis, existimamus esse fortasse

se melius, si dicamus, Aristotelem in eo capite pro demonstrationis medio acci- A
pere proprie omnia causarum genera, nam per formam subiecti demonstratur
de eodem subiecto aliqua eius propria passio, ut risibile de homine propter ani-
mal rationale;& per subiecti materiã,à qua producitur aliquod accidens,demon-
stratur accidens illud de eodẽ subiecto,ut corruptibile de homine,quia est cõpo
situs ex carnibus,& ossibus; Illud idẽ uerũ est ẽt de sola causa passionis effectrice,
quæ nõ sit quidditatiua subiecti definitio, nec non de causa finali eiusdẽ passionis
demonstrandæ, eã, scilicet,passionẽ de subiecto suo per illas demonstrari; ex qui
bus quatuor causis, forma,& materia subiecti in hũc sensũ absque ullo incõueniẽ
ti dici posset mediũ improprie,& p accidẽs,qa non cõsiderantur ut forma,& ma
teria subiecti,sed ut causæ passionũ effectrices,quando ab eis emanãt passiones de
mõstrandæ. qua posita ueritate, nõ repugnat philosophus in illo undecimo ca-
pite secundi Posteriorũ iis,quæ de medio demonstrationis superius in sexto capi
te determinauimus, quando.n. dicimus, causã passionis effectricẽ, quæ pro me- B
dio ab Aristotele accipitur in secũdo Posteriorũ octauo,& uigesimo quincto cõ
textibus,semper esse quidditatiuã subiecti definitionẽ,intelligimus in demõstratio
ne pp quid potissima,philosophus uero,quãdo loco citato asserit,omnia causarũ
genera sumi pro medio in demonstratione,intelligit in demonstratione pp quid
cõmuni ad potissimam,& non potissimã,dirigens causã formalẽ ad potissimã,re
liquas uero ad nõ potissimã; de qua quidẽ causa formali non exẽplificat in illo
undecimo contextu secundi Posteriorũ,quia in præcedenti contextu decimo sa-
tis copiose de ea uerba fecit, dũ declarauit mediũ in demõstratione esse definitio
nẽ indemonstrabilẽ, quæ nulla alia ẽ nisi forma, & quidditatiua subiecti definitio.
Diuersã uero esse demonstrationẽ,de qua loquitur in primo Posteriorũ ab ea,de
qua uerba facit in secũdo libro loco citato, indicat diuersa constitutio definitio
nũ ipsius scire, philosophus .n. in primo Posteriorũ contextu quincto definiens
nõ omne scire per causã,sed scire simpliciter,& perfectũ,dixit, (scire autẽ arbitra- C
mur unũquodque simpliciter,sed non sophistico modo,qui est secundũ accidens,
cũ causã existimamus cognoscere,pp quã res est,quod illius causa est, & nõ cõ-
tingere hoc aliter se habere,)in qua definitiua propositione tũ ratione subiecti, tũ
ẽt ratione prædicati determinate philosophus locutus est,ratione subiecti,seu de
finiti,quando dixit,(scire simpliciter)ut innueret,se nolle agere de omni scire,sed
de eo,quod potissimæ demõstrationis effectus est;ratione uero prædicati, aut de
finitionis, quando dixit, (cũ causam existimamus cognoscere,propter quam res
est, quod illius causa est,& non contingere hoc aliter se habere) ut indicaret, sci

principia in primo Posteriorum ordine resolutiuo Aristoteles inuestigat, non est
A se eandem cum ea, de qua loquitur in secundo libro capite illo undecimo, sed essentialiter ab ea differre, ut probatum fuit in superiori libro capite octauo, neo repugnat huic nostræ determinationi Auerrois auctoritas in secundo Posteriorum commento quadragesimo octauo, in cuius principio habet huiusmodi uerba; (Et cœpit commemorare causam, propter quam sequitur, ut sint causæ termini medii in demonstrationibus, & hoc, quoniam declaratum fuit in principio tractatus primi istius libri, manifestum utique esse, quod scimus rem, cum nouimus ipsam per causam suam.) quæ uerba hunc uidentur habere sensum, uidelicet, cum determinatum fuerit, rem sciri per suam causam, & hoc in quincto contextu primi Posteriorum libri, oportere utique ut sciamus quot sunt omnes causæ, & ut illas quæramus de una, eademq́; re, si hoc fieri possit, aut de uno quoque entium quæramus eas causarum species, quæ illius sunt. quare ex eo Auerrois loco nullo pacto habetur, nec haberi potest ex mente eius, ut definitio ipsius sci-
B re à philosopho tradita in capite de causis eadem sit cum ea, quam tradidit in primo Posteriorum contextu quincto, cum diuerso modo utrobique fuerit posita.

Dubia quædam proponuntur, eorumq́; solutiones.


C A P. XIIII.

Aristoteles in secũdo Posteriorum libro docet, unam unius rei causam esse, non plures, quæ tradat cognitionem ipsius propter quid, eamq́; uult cum suo effectu reciprocari, ut posita ponat, & ablata auferat effectum, quare fieri non potest, ut idem effectus per causam formalem potissima demonstratione, per alias uero demonstratione propter quid tantum demonstretur, alioquin eueniret, unius rei plures fore causas quæstioni propter quid est satisfacientes, quod & A-
C ristoteli, & rationi aduersatur, quandoquidem qui plures causas asserit separatim acceptas satisfacere quæstioni propter quid de eadem re factæ, is pugnantia dicit, & proprium ipse dogma euertit, quia si plures eiusdem effectus tales causæ ponantur, sequitur, nullam esse causam, propter quam res fit, à quauis enim earum effectus ex necessitate habet ut sit, sequitur, ab altera eum essentialiter nõ pendere. Aduersatur etiam Auerroi opinio nostra, nam in trigesimo nono, & quadragesimo secundo commentariis secundi libri Posteriorum declarãs Auerroes ea, quæ ab Aristotele dicuntur de potissima demonstratione, inquit, eius medium semper esse causam effectricem, uel finalem, nunquam formam, sed formam in conclusione potius demonstrationis, quàm in medio contineri. Satisfacientes allatis obiectionibus, dicimus ad illam Aristotelis auctoritatem loco citato, philosophum intelligere ibi de causa formali, quæ sola dat esse rei, so-
D laq́; (ut probatum est in superioribus) tradit cognitionem ipsius propter quid simpliciter; quare clarum est, fieri posse, ut idem effectus per causam formalem

potisſima demonſtratione demonſtretur,per alias uero cauſas demonſtretur de- A
monſtratione propter quid non potiſſima,nullumq́ inconueniens eſſe, ut unius rei plures ſint cauſæ ſatisfacientes quæſtioni ipſius propter quid communiter accepti; inconueniens utiq; eſſet,plures cauſas,à quibus res non habet ut ſit, po- tisſima demonſtratione ſatisfacere quæſtioni propter quid,cum ei ſola cauſa for malis ſatisfacere debeat; quod tantum abeſt,ut Ariſtoteli & rationi aduerſetur, ut potius ſit ex mente philoſophi,& à ratione non alienum, nam quæſtioni pro- pter quid una paſsio inhæreat ſubiecto,non ne ſatisfacere poſſunt aliæ paſſiones, & ratio eiuſdem ſubiecti? quæſtioni propter quid potiſſima demonſtratione non ſatisfacit niſi ratio ſubiecti haud inuenta à poſteriori, ut probatum eſt, quæſtio- ni uero propter quid demonſtratione non potisſima aliæ paſsiones, & ratio ſu- biecti per alıud inuenta, nimirum,à poſteriori; nec ſequitur,ut,qui plures cauſas aſſerit ſeparatim acceptas ſatisfacere quæſtioni propter quid de eadē re ſactæ, is B
pugnantia dicat, & proprium ipſe dogma euertat,ſicuti non ſequitur,nullam eſ- ſe cauſam,propter quam res ſit, quoniam à quauis earum cauſarum non habet res ex neceſsitate ut ſit, ſed ſolum à formali. Ad Auerrois uero auctoritatem in trigeſimo nono, & quadrageſimo ſecundo commentariis ſecundi Poſteriorū libri reſpondemus, Auerroem,quando locis citatis ait, demonſtrationis mediū nunquam eſſe formam, intelligere paſſionis, non ſubiecti formam,cum aſſerat,& optime,formam in concluſione potius demonſtrationis,quam in medio conti- neri,nam forma ſubiecti nunquam in concluſione demonſtrationis, ſed ſemper in medio continetur,cum ab illa paſsio demonſtratione potisſima demonſtanda habeat ut ſit, & conſeruetur; Auerroi itaque poſitio noſtra minime aduerſatur.

Laus Deo Optimo Maximo, Qui Trinus, et Unus eſt. C

FINIS.



Ego Frater Saluator Bartholucius Asisias ord. min. con. Sacræ Theologiæ Doctor, & publicus in Patauino Gymnasio Metaphysicæ professor fidem facio, me suprascriptū opus, Quod incipit (quoniam de omni) & finit (minime aduersatur) perlegisse, & nihil inuenisse, quod fidei Catholicæ aduersetur, uel sit contra bonos mores, uel contra Principes.

Frater Maximianus Inquisitor uisa suprascipta fide Licentiā imprimendi dedit.

Visa prædicta attestatione ego Petrus Matthæus Coruinus Vicarius probaui dictam Licentiam.



ANNO
MDLXXXIIII.